This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

B.-L. 1569

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
90000

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI HOOGEVEEN

LUDICRA.

ACCEDIT

THEODORI HOOGEVEEN

HISTORIA

MORBI DOMESTICI.

DELPHIS

Apud C. V. GRAAUWENHAAN,

CIƆIƆCCLXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTISSIMO VIRO
HENRICO HOOGEVEEN,
LUDICRA SUA
IN LUCEM EDENTI.

Suavis autem eſt, et vehementer ſaepe utilis jocus et facetiae.

Cic. II *de Orat.* 54.

QUolibet e facto, quod ſit minus utile, vano
Gloria mortali non niſi ſtulta redit:
Sic ait arguti lectiſſima Fabula Thracis,
Cui ſenis eſt Phrygii *ſemita facta via.*
Idem erat ille ſcopus, ſemper Tibi terminus idem,
Rector, ab Argivis *nomen adepte ſacris.*
Teſtes PARTICVLAE, *quas tanto ardore petivit*
Anglia, *praeclaris jure ſuperba Viris.*
Praevia PARTICVLIS *juveni Tibi cura* VIGERVS
Prima, neque invita Pallade, *teſtis adeſt.*

Quas Tibi Pierides *dederint in carmina vires,*
Haec extorta Tibi nunc monumenta docent.
Nam, veluti metuens pelago decurrere pinus
Nautica in incerto fluctuat acta ſale:
Sic Tibi mens agitata diu, precibusne, Camenas
Quae petiere Tuas, obſequerere, fuit;
Vota reluctantem tandem flexiſſe videmus,
Multorumque datas ad pia vota manus.
Plena verecundo volvet jam Carmina riſu,
Quisquis ad has artes non rude pectus habet.
Jam laetus collecta Tibi per LUDICRA *frontem,*
Perque jocos faciles explicuiſſe ſuam;
Verſabit, placido quem vidit luminis orbe
Melpomene, *artifici ſcripta polita manu.*
Sive illum oblectent Elegi, peramabile carmen,
Sive amet argutae fila ferire lyrae.
Parnaſi *patulis hoc eſt quod plaudit ab umbris*
Delius, *et Muſae quisquis amore calet.*
Nos quoque gratanti teſtamur gaudia mente,
Quod tetigit portum lenta carina ſuum.

Huic

Huic igitur vati dociles accommodet aures,

Quicumque hellebori ſit medicandus ope.

Hic modo DOXOSOPHVM *(niſi ſi ſua vulnera tangi,*

Omen et in titulo cenſeat eſſe malum)

Percurrat (pretium non vile laboris habebit)

Conſulat et ſpeculum ſaepius ille Tuum.

Hîc veluti picta vultus in imagine ſpectet,

Dicere quos poſſit, quos pudeatque, ſuos.

Nec minus hîc tumidos contemnere ſuetus Agyrtas,

Languidus et ſtudiis otia blanda ſequi:

Materiem inveniet variam, quaeque utile dulci

Temperat, ut dubiis menſa parata cibis.

Gratus et agnoſcet, tot inertia pectora Vatem

Expurgaturo perfricuiſſe ſale.

Si quis, ut in populo, tamen eſt, Doctiſſime, ſi quis,

Qui riſum innocuum carpere forſan amet;

Sperne ſupercilium, nimiaque inquirere cura,

Num tali placeas, diſpliceasne, fuge.

Scilicet audaci mordebat dente Maronem

Carbilius, Clarii *dedecus usque chori.*

 Maeo-

Digitized by Google

Maeonio *oſtentat quid majus Vate vetuſtas?*
Hic etiam, Invidia judice, vitiis erat.
Diverſos capiunt diverſa: hinc aequora Glaucus;
Hinc arbuſta Mycon; Daphnis *ovile crepat.*
Sic quoque, qui vario peterent diverſa palato,
Convivas numerat tres Venuſinus *olor.*
Denique, qui placeat, ſeu Rhetor, *ſive* Poëta,
Omnibus, eloquiô aut carmine, nullus erit.
Quid! neque ſecundos quum coelo depluit imbres
Jupiter, *aut nubes diſcutit, ipſe placet.*

D. J. VAN DER TRAPPEN.

PRO-

P R O L O G U S.

JAMBICUM TETRAMETRUM CATALECTICUM

L E C T O R I S.

AMice Lector, paululum reſiſte, nec moleſte
Orationem prologi fer impetus morantem:
Et, antequam ſcias, novi quid afferant libelli;
Quis, unde, qua fiducia, pudore quo ſub auras,
Diu tenebris abditus, nunc prodeam patentes;
Indocta, docta curſitans per ora, diſce paucis.
Qui me creavit (commodum quo glorior ſuperbus;
Salve, Minerva diva, ſorte compari creata.)
Qui ludibundus me fovens per otium cerebri
Docto creavit, ſui minus, ſuo tamen cerebro;
Doctum ſonans, illuſtre nomen indidit Pelasgum,
Latoque DOXOSOPHUS perambulans in orbe noſcor.
Nunc obſtetrice dextera, diu negante patre,
Auctoritate nobiles et eruditione

Digitized by Google

Ambage longa dicerem viros ſtetiſſe circum
Partum juvantes; ante me ni trita jam Cethegis
Et veritatis vox fidem levaſſet obſoleta.
Hoc quicquid eſt, en prodeo fretus ſtupore vulgi,
Jocoſa nempe ſeriis plerumque praeferentis,
Faceta dicta grandibus, feſtivaque eruditis.
Quandoque virtus innocens ludit ſeveriorum,
Et explicata ſaepe riſit ipſa frons Catonum.
Hoc orbe tectus parmulae contra leves ſagittas,
Loquacium ſermunculos ſubire non paveſco.
Jocoſa porto, ludicros ſales, ſed innocentes.
Ineſſe verſus noluit Camoena criminoſos,
Et, quotquot aures vulnerent ſordes Catullianae.
Sed occulam ne quid ſinu, nunc candidus fatebor.
Licet paterna juſſerit videre me voluntas
Auras apertas, non tamen prodire ſolus auſus,
Periculoſis aleae non credidi fritillis.
Apud patrem ſimillimos mei latere noram
Fraterculos: conſortium fidele flagitavi.
Conceſſit ille, voce motus ſupplicis, ſed aegre.

Nunc,

Digitized by Google

Nunc, ſi mali quid accidat, diviſus inter omnes
Minore terror impetu proſternet expaventes,
Et alter alterum pius ſolatio juvabit.
Fortuna ſed ſi juverit, graduque ſtare firmo
Amica laetos juſſerit; commune crescet inter
Fratres ovantes gaudium: res cum tuo ſodali
Ni partiare prosperas, omnis perit voluptas.
Ludens ſed unus inter hos luſum pium, modeſtum,
In ſeriam rem ludicram convertit, admonetque,
Tellure ſpreta, nobiles in ſe redire mentes;
Sed ludibundus quatenus, noſtra cohorte dignus,
Latet caterva, discrepans modeſtiore cultu,
Quam vincla dura comprimunt ſub carceris tenebris.
Haec ſcriniorum taedio, ſituque foeda longo,
Aperta coeli flagitat, cupitque proſilire.
Subire cautior tamen periculum recuſat,
Sedensque, ceu de rupe celſa prospicit, vagantes
Quae fata fraternas agant rates feras per undas:
Quod ſi ſecunda; forſitan ſequetur, et ſolutis
Portum relinquens funibus, vagis feretur auris.

Digitized by Google

Sin Parca dura neverit fatale ſtamen; intra
Opaca luſtra ſuſpicax et clauſtra deliteſcet,
Secura ripa naufragos riſura nos miſellos.
Impune noſtra non tamen ſpectabitis pericla.
Si, veſte ſciſſa, ſordidas migremus ad tabernas,
Verſiſque membris parvulos mutemur in cucullos,
Piper ferentes, ſaccharum, vel Indicos odores:
At, interim quos continent timor pudorque, fata
Iniqua vobis imminent, blattis dapes daturis.
Maligna ſi fors exitus negarit expetitos,
Feſelleritque lapſa ſpes, concepta mente caeca,
Peribimus nos promtius, vos morte lentiori.

Digitized by Google

HENRICI HOOGEVEEN

L U D R I C A.

Δ Ο Ξ Ο Σ Ο Φ Ο Σ.

NEscio, quo diverſus agar, quo numine raptus
Ignoto inſuetam cogar inire viam.
Quisquis is eſt, menti qui ſpiritus inſidet altae,
Meque movet captum, quo jubet ille, ſequor.
Ille poëtarum jubet intermittere cauſam,
Socraticique vetat jura referre fori.
Ille dabit famam, facilique parabile cura
Grande nova docti nomen ab arte feret.
I procul hinc, quisquis multo ſudore parari
Ingenii laudes nobilioris ais,
I procul hinc, quisquis, praeruptis undique ſaxis,
Aëria doctas ponis in arce deas.
I procul hinc, quisquis ſomni ſine munere longas
Per noctes ſtudii taedia ferre jubes.
I procul hinc, quisquis narras, mortalibus aegris
Vendere munificos cuncta labore deos.

Digitized by Google

Qui ſapis, antiqui mecum deliria ſecli,
Et ride veterum ſomnia vana patrum.
Heu! nimis expertus loquor, et monitoribus iſtis
Dementes aures, conſiliisque dedi.
His ducibus, fruſtra ſtudiis librisque ſepulto
Corporis atque animi vis periitque vigor.
Poenitet! O pulcras horas, dilapſaque fruſtra
Tempora, festivis debita deliciis!
Illa juventuti, ludis erepta jocisque,
Et quis tot referet, qui periere, dies!
Heu! ſero didici, juvenem quae tecta latebant,
Qui nunc ſtultitiae praemia juſta fleo.
Deceptus doceo viridem meliora juventam:
Solum me falſum ſit gemuiſſe ſatis.
Hanc ego, qui cautum male me cepere, doloſis
Non patiar laqueis inſidiisque capi.
Ergo, doctrinae quem tangit fama profundae
Dulcis, et ingenua nomen ab arte juvat,
Huc ades, et docti monitus praecepta magiſtri
Accipe, et intenta condita mente fove.

Au-

Digitized by Google

Auribus haec avidis mea dicta fideliter hauri:
  Quae fugienda tibi, quaeque ſequenda, dabo.
Doctorum miſeros jubeo impallescere chartis:
  Has cane tu rabida pejus et angue fuge.
Huc ades, et nullo claras ſudore parari
  Ingenii laudes disce, aliosque doce.
Arce locant alta Muſas, praerupta minantur,
  Angustos aditus, praecipitesque vias:
Sed, mihi ſi credas, inter Campana jocantes
  Thespiadas poteris vina videre deas.
Securos capias poſt Bacchi munera ſomnos,
  Nec niſi cum multa luce relinque torum.
At cave tu, ne, quae ſpecioſo nomine fertur
  Regia, ſi ſapias, ingrediare viam.
Illa per ambages ducit, per tesqua locorum,
  Sentibus et dumis obſita, plena metu.
Ante nec invenias requiem finemque laborum,
  Quam tingat raras tarda ſenecta comas.
Quid moror hic longam? ſed, ne metuenda, periclum eſt,
  Excipiant praeceps rupis acuta caput.

Digitized by Google

Quam monſtro tibi, lata patet, tutiſſima, recta,
Prona, frequens, facilis, libera, plana, brevis,
Titanem coeli media regione vagantem,
Ducentemque citas cerne per alta rotas:
Si noſtros ſequeris monitus, ſol ille priusquam
Conditur Heſperio gurgite, doctus eris.
Ergo age, carpe viam, duce me: feliciter vade;
Inſtructus monitis nulla pericla time.
Principio, ne ſolus eas; Audacia fronte
Perfricta lateri ſit tibi fida comes.
Si qua moram injiceret rudis ignorantia rerum,
Unde importunus tingeret ora pudor;
Terribilem praeſens audacia proruat hoſtem,
Et victum propera cogat abire fuga.
Tectior incedens tamen ignorantia greſſus,
Quo te cunque moves, ſervet amica tuos.
Dulce tibi ſit ſcire nihil, ſed turpe videri
Ignarum: hoc prudens oderis, illud ama.
Quominus hic peccas, faciles tibi commodus artes
(Quas utinam ſciſſem junior ipſe!) dabo.

Eſt

Eſt ne viam juxta fundusve hortusve ſub urbem
Venalis, populus qua ſolet ire frequens?
Hunc eme. Non alius, rimandi cauſa, patebit
Aptior inſidiis conſilioque locus.
Prima ſit hic tibi cura, oculis ut pervia ſepes
Proſpectum, turba praetereunte, juvet.
Longius hinc ſcamnum poni aut umbracula, ſub queis
Spectandus ſedeas, e regione jube.
Praecipue feſtis ſeceſſum hunc quaerere diebus,
Libera cum ſolito turba labore meat.
Certius ut fallas, prudens ante omnia cura,
Amoto nunquam conſpiciare libro.
Intentum ſtudiis vulgus mirabitur, unde
Naſcetur docti gloria prima viri.
Nec ferat obſcuri Caſſandra Lycophronis (illud
Si forte audieris nomen opusve) metum.
Non refert, utrum Graeca exemplaria verſes,
Aut Latii inſpicias grande Maronis opus;
An te delectet Mileſia fabula, vel quae,
Si legat, auſterus rideat ipſe Cato;

Sive

Sive aliquid patrio ſcriptum ſermone placebit:
  Discerni a populo praetereunte nequit.
Ne tamen aut Sophocles, aut Muſa Euripidis abſit,
  (Hos, ſcito, tragicos Graecia priſca tulit.)
Sed jaceant ſpreti; jaceant tamen: ille vel illa,
  Si non inſpicias, quid taciturna nocet?
Cur autem hoc moneo? Si vel vicinus ab urbe,
  Hoſpesve, aut pulſans oſtia notus adeſt,
Sit mora nulla, tenet quae dextra, crepundia tolle
  Impiger, et cautus condita veſte tege.
Dum famulus currit, reſeratur janua, porta
  Clauditur, ille gradu non properante venit
Arripe tunc Sophoclem, vel, quae modo ſpreta jacebat,
  Maeonii, ſi vis, Ilias alta ſenis
Ille quaſi intentum ſtudiis deprendat amicum,
  Et turbet gratis oſtia docta dolis.
Turbidus exſurgens veniam pete rite: petenti,
  Utpote non viſus, protinus ille dabit.
Sic depone tuum, tenuit quem dextera, vatem,
  Ut cognoſci oculo vel fugiente queat.

Ne

Digitized by Google

Ne dubita, non ille ſuos celabit amicos,
  Et tota docti nomen in urbe feres.
Tum, quoties latos vacuus ſpatiere per agros,
  Uteris toties callidus arte pari.
Quantum oculi poterunt ſpatiis pertendere longis,
  Obſerva, ſi quem proſpicis ire procul.
Hic cave, nec cura haec tibi ſit ſpernenda, priusquam
  Accedat propius, ne videare prior.
In promtu vel charta tibi, tenuisve libellus,
  Qui dominum ſemper te comitetur, erit.
Suſpenſum, ac grave quid meditantem ut ſentiat, ito
  Inceſſu lento: ſiſte aliquando gradum.
Non exſpectato occurſu ſic finge pavorem,
  Ut ſtrepitu excitum te putet eſſe pedum.
Saepe ſalutantem reſaluta ſerius: aequam
  Inveniet veniam fictus in ore ſtupor.
Illius arbitrio, meditantis mente profunda
  Grandia, non ſignum ruſticitatis erit.
Res ſit agenda foris, ſive inviſendus amicus
  Longius aut brevius carpere cogat iter,

Navi-

Digitized by Google

Navigiis potius, quam curribus utere; praedam
  Venanti longe eſt aptior unda via.
Ne ſint portatu potiora viatica libro:
  Hoc niſi munito linquere tecta nefas.
Elige ſcriptores: Grajum praeferre Latino
  Te, ſi vis uti me monitore, velim:
Nam noſtro quamvis ſeclo non Graeca leguntur,
  Spretaque ſub pedibus Muſa Pelaſga jacet;
Sibilet et Grajum populus licet, inſcia quali
  Ridiculum quemvis nomine turba vocat;
Sit animo Argolicae quaedam reverentia Muſae
  Inſidet: hanc riſu diſſimulare nequit.
Ne tibi quaeratur ſecretior angulus, inter
  Poſtremos ideo ſemper adeſſe ſtude.
Sic quoque vicinum dextra laevaque parabis,
  Qui tibi, quod cupias, claudat utrumque latus.
Nec tibi quaeratur quiſquam de plebe maligna,
  Sed ſi quis cultu ſplendidiore nitet.
At ſi forte vides annoſa fronte ſeverum,
  Quem gravitas doctum prodit in ore virum:

(Dignos-

Digitized by Google

(Dignosces facile hunc taciturnum habituque modeſtum
Cujus et ex oculis lucida flamma micat.)
Hunc fugias: ludos daret haec vulpecula, nullo
Olfaceretque tuos illa labore dolos.
Haec tibi praeſcribas, dum funis ſolvitur, et ſe
Expedit accinctus nauta, ligatur equus.
Proveheris, patuloque puer de more, caballi
Terga premens, ignes jam canit ore ſuos;
Haec tuba det ſignum: tu protinus arma capeſſe:
Prome vel Heſiodum vel Xenophonta ſinu:
Sed, fuerit quicunque, interprete verſa Latino
Ne ſint oppoſito limite Graeca, vide.
Hic tibi nunc duram cogor praeſcribere legem:
Perfer, et haec animo taedia ſola feres.
Tu lege: ne ceſſa: vel verius, inſpice ſaltem,
Donec erit longae meta reperta viae.
Tu lege, nil quamvis intelligis: in grege toto
Non, qui fallacem ſentiat, ullus erit.
Tantum temporibus verſetur pagina juſtis;
Imprimis hoc ne neglige, tutus eris.

Si,

Digitized by Google

Si, variis longas cupiat qui garrulus horas
  Fallere colloquiis, unus et alter erit,
Indignabundo ſimilis tu contrahe frontem:
  Reſpice: ſermones hos tibi finge graves.
Subride, torto nonnunquam leniter ore,
  Ceu quaedam lepido cum ſale miſta legas.
Quid multis? miſerere, time, contemne, ſtupeſce:
  Iraque, vel ſedeat fictus in ore dolor.
Dextera ſic teneat librum, ut miretur utrinque
  Proximus, haud ullo Graeca labore legi.
Mendacem vanumque voca, ſacraria Grajûm
  Ni jurent docto cuncta patere viro.
Non contenta domo, poterit tua fama per urbes
  Finitimas, pennis nixa volare novis.
Accipe nunc aliam, qua poſſis fallere, fraudem,
  Et, quem non Lynceus ſentiat ipſe dolum.
Aedibus innixum primis tibi, compita juxta,
  Elige muſeum, proſpiciatve forum.
Callidus hic reputa, quo ponas ordine libros;
  Utilis ut domino ſtructa ſit arte cohors.

Fac,

Digitized by Google

Fac, teneant aciem graviora volumina primam,
  Quà facile oſtentet parte feneſtra patens.
Sic, qui ſuſpiciat, mirabitur unus et alter,
  Quanta ſit inſigni bibliotheca viro.
Pro numero auctorum vulgus, pro mole benignum
  Judicium ſtudio de graviore feret.
Haec ita proſpicias, vaſto dum clarus olympo
  Per ſudum ignivomas ducit Apollo rotas:
Aſt, ubi nox properat, fuſcis invecta quadrigis,
  Nullàque res facie verſicolore nitet;
Aſſiduo mediam ad noctem fac lumine, et ultra,
  Muſeum illuſtret clara lucerna tuum.
Quis non jurabit, lento ſubrepta ſopori
  Tempora te ſtudiis Pieriſinque dare?
Interea tibi ſecuro garrire licebit
  Conjuge cum lepida, cumque loquace ſocru.
Pergimus. Orator celebri cum publica coetu
  Ornatus faciet munere verba novo,
Primus ades, doctoque viro, cum venerit, omen
  Optatum blandus nutus et ora ferant.

Digitized by Google

Intentis oculis, immoto corpore toto,
Quamvis percipias vix tria verba, mane.
Quoslibet ad ſtrepitus irascere, foemina clamet
Venales rapas, ſeu latret alta canis.
Interdum tamen obliquo circumſpice furtim,
Et limo turbam lumine cautus obi.
Si quos deprendas vultu ridere ſereno,
Solve quoque in riſum leniter ora levem.
Atque aliqua longi ſermonis parte peracta,
Annue nonnunquam, ceu bene dicta probes:
Si nescis, disces inflexa ex voce moraque,
Dum laterum vires colligit ille novas.
Aut aſinus fiam, converſo et corpore bubo,
Aut poteris docti nomen habere viri.
Colloquiis inter ſocios ubi fallere tempus
Contigit, et genio liberiore frui,
Sermo ubi de vento, vicini morte, domove
Conducta, variis rebus in ore frequens;
Hic quoque rem facias: indocti, disce, ſodales
Doctrinam ſtupeant qua ratione tuam.

Ser-

Digitized by Google

Sermoni patrio miſcere Latina memento,
  Grajave; majori nam gravitate ſonant.
Quo minus hic deſis, proverbia conſule, quae vel
  Turnebus, vel quae dives Eraſmus habet.
Hinc tibi viginti (levis eſt labor) elige, mente
  Quae figas memori; ſi potes, adde decem.
Qualia: *Claſſis homo quintae eſt. Ad utrumque paratus,*
  Hic niger eſt. Patris eſt filius. Haeret aqua.
En Rhodus, en ſaltus. Bos ad praeſepe. Labellis
  Iſta fac a primis ſponte ſubinde fluant.
Iſta vaga, totidem ceu condimenta, loquela
  Sparge: haec ambroſio pulpa ſapore placet.
Divitis eloquii certa haec documenta ſtupebunt,
  Promtaque jurabunt de locuplete penu.
Infauſto ſi verba tibi non congrua rebus,
  Ingenio aut lingua deficiente, cadant,
Ne fateare, cave, quis te deceperit error,
  Neu malus ignarum prodat in ore rubor:
Sed reprehendentem crebro clamore fatiga;
  Ille ſalutaris plus ratione valet.

Digitized by Google

Ne cedas: contende: ferox obnitere contra:
  Crede mihi, referet, ſi ſapit, ille pedem.
Si perſtat tamen, auctorem, quem nulla vel aetas
  Viderit, ad partes ſubſidiumque voca.
Si victas tamen ille manus non porriget, audax
  Finge ſtatim patriam, tempora: victor eris.
Forte quis objiciat: Non res caret illa periclo,
  De quo nil ſcieris, plurima velle loqui.
Nil grave: me ſequere, et, ſi non mea dicta monentis
  Spernis, erit cornix non magis ulla loquax.
Me ſequere audacter, facilique labore videri
  Non tantum doctum te, ſed et eſſe dabo.
Ecce viam: Doctus quoties vir cunque, relictis,
  Naturae ſolvit debita jura, libris:
Distrahitur vivo nuper dilecta ſupellex,
  Interſis: praedam, quam petis, hasta dabit.
Principio, quanto, qui nobiliora ſubegit
  Ingenia, hic diſcas, veneat aere labor.
Hoc quamvis leve ſit, noli contemnere; docti
  Non leve momentum nominis illud habet.

Quo

Digitized by Google

Quo critico vigilante, quibus que ſit optima curis.
  Editio reliquis anteferenda, ſcias.
Auritus perſta, et, quae multi multa loquuntur,
  Impiger et vigili condita mente nota.
Saepius hoc repete, et nullius ſcire laboris,
  Quique ſit, et quanti quilibet auctor, erit.
Ditior infreni ſolita inter gaudia lingua
  Ad tua, quae blateres, tecta reverſus, habes.
Quo tamen evadas quaſi per compendia doctus,
  Conſilii fructum nobilioris habe:
An noſti lepidos, fama memorante, libellos,
  Quorum imbrem denſum tempora noſtra ſtupent?
Quosque ſtati genuere dies, tempus ve bimestre
  Promit? Nonnullos menſtrua cura parit.
Hos verſa: fructus, oculo fugiente, laborum
  Inſignes, alii quos ſubiere, feres.
Quicquid Ariſtoteles, quicquid Plato, quicquid Homerus,
  Pieridumque cohors Graja, Latina dedit,
Hic calamiſtratum lepide, curisque ſecundis,
  Et tanquam nitidum, veſte recente, vides.

Digitized by Google

Difficiles nugas docuerunt ponere Galli:
  Haec inter cunctas natio ſola ſapit.
Haec te doctrina ditabit gaza ſtupenda,
  Nomine quae vero bibliotheca venit:
Eſt nullus labor; iſta leges, dum cruſtula ponit
  Ancilla, et cacovi ſpumea dona bibis.
Si quid inhaerebit (neque enim facile omnia perdes
  Tam bene tornato dicta polita ſtylo)
Augusta gravitate inter convivia, plena,
  Suppresſo auctoris nomine, bucca crepet.
Attende imprimis, quoties cenſura verendi
  Doctrinam et mores taxat iniqua viri.
Taedia ſanabit natura: fidelior haurit
  Mens, pronaeque aures ad maledicta magis.
Objiciat ſi quem fortuna maligna ſagacem,
  (Forſitan in multis unus et alter erit)
Doctrinae famam qui patrum more ſecutus,
  Aſtuta ſtructos rideat arte dolos;
Succurrat rigida cum fronte audacia, lingua
  Si modo par dictis reddere dicta queat.

Si

Si non; praeſentem tacitus contemne, ſed abſens
Hic niger effreni vapulet ore canis.
Indoctum taceas, ſed crudus, ruſticus, aſper
Sit: genium ſecli non ſapit ille ſui.
Nobilium de gente viro te adjunge, poteſtas
Cui ſit doctrina major et ingenio.
De paſſim ſpretis huic narra paucula Muſis,
Plura ſed invidiae fomite plena refer.
Proderit, illius ſi conjux garrula linguae
Multum laeſuras ſpargat ubique faces.
Sic ultor ſimul et damnum reparabis honoris,
Et riſor poenas improbus ille luet.
Haec mea ſi ſerves animo praecepta fideli,
Crede, vel invita Pallade, doctus eris.

Digitized by Google

JUVENTUS STUDIOSA.

QUae dociles curae pueros, quae taedia vexent,
Quam non ingenua mente ferenda ferant:
Quas contra tribuant academica ſacra juventae,
Muſa voluptates deliciasque canet.
Ante tamen, viridi quae ſunt communiter aevo
Commoda, laudantor carmine pauca brevi.
Haec, ſi quis recte rationes colligat, aetas
Plurima, queis placeat, curve petatur habet.
Sola haec corporibus vires, animisque vigorem
Sufficit: haec curas moeſtitiamque fugat.
Cum miſera et triſtis mortali vita trahatur,
In mediis cantat ſola juventa malis.
Hanc circumvolitantque ſales, lepidusque cupido,
Pectoraque indociles moeſta ferire joci.
Fortia ſi poscat respublica facta laborans,
Non timet inferni pallida regna dei.
Per ferrum et flammas, per mille pericula mortis
Pro patriâ pugnans fortiter usque ruit.

Plura

Digitized by Google

Plura recenſerem, ſineret brevis hora, requirat
  In queis quis longe tutius hujus opem.
Perpetuo vernans Phaëton ſapientius aevum,
  Quam dubii optaſſet frena tenenda patris.
Si cui natales concedas mille, quid inde?
  Si faciunt tremulos tempora longa ſenes.
Mille petens (virides non addidit immemor) annos,
  Stultitiam ſero queſta Sibylla ſuam eſt.
Incaſſum damnat tuus, o Tithoni, maritus,
  Mutata, longos, ſorte, cicada dies.
Si non, guſtato fatali ex arbore pomo,
  Credulus uxori contemeraſſet humum,
Flore juventutis non marceſcente parentem
  Usque frui primum quis potuiſſe neget?
Haec illi vitae tranquilla in ſorte dediſſet
  Vere felicis munere poſſe frui.
Aſt hominum miſero generi nunc noxa ſenectam
  Triſtem cum multis attulit una malis.
Quarumvis primos rerum commendat honores
  Natura, et primo robore quaeque vigent.

Quod ver eſt anni, quodque eſt aurora diei,
Hoc eſſe aetatis tempora prima puta.
Omnia vere novo, juveniqne ſimillima florent:
Eſtque ſuis ſylvis, eſt juvenique decor.
Pulcrius in primis viridis ſtat frondibus arbos,
Laetius in primo gramine balat ovis.
Obliquo vitulus contorquens corpora ſaltu
Nondum cornigera fronte timendus ovat.
Perſequar ulterius? Nullum Pimpleis habebit,
Si velit ad partes cuncta vocare, modum.
Quicquid in immenſum naturae munere mundum
Prodiit, haec, vel me, dicta, tacente, probat.
Pergite, Pierides, ſatis in commune locutae,
Materia vires ſuppeditante novas.
Dicite, quis juveni, cui nunc umbracula primi
Gymnaſii ſordent, nobilis adſit honos:
Quaeque beet vitae pars feliciſſima, ſi quis
Migrat ad Aoniae ſacra verenda domus.
Prima juventuti libertas aurea, donum
Attalica potius conditione, datur;

Liber-

Libertas, animos mira dulcedine mulcens;
Libertas, qua nil pulcrius orbis habet.
Hactenus auſtera metuendus fronte magiſter
Terruit, inviſa ſub ditione premens.
Triſte ſupercilium puerilibus obſtitit auſis,
Verbaque cum tumidis imperioſa minis.
Mane, ubi tironi requies placidiſſima ſomni eſt,
Cogitur e tepido membra levare toro.
Illa rigent: vertigo rotat caput: ipſe ſopore
Non bene diſcuſſo lumina victa fricat.
Scribit, et emendat: repetit dictata, magiſtro,
Sedulus excepit quae, praeeunte, puer.
Sumitur hinc raptim fervens (ſit cura palati)
Lympha peregrinae tincta ſapore fabae.
Vix bene jentatum eſt, et rurſus ad arma vocatur,
Audiret veluti claſſica, tota cohors.
Nona reſumendae ſonuit praenuncia curae,
Quae, velut ad ſtabulum, convocat hora gregem.
Hic deſudandum eſt: hic ad faſtidia ſaepe
Grammaticam repetit rhetoricamque puer.

Aut

Digitized by Google

Aut miſere, graviter turba indignante novena,
Disperdit magni grande Maronis opus:
Carmina vel luxat Naſonis: fata libelli
Sic ſubeunt domino non leviora ſuo.
Sic Decus eloquii ſqualet male verſus, ut illud
Romanae dicas dedecus eſſe togae.
Cumque Probo Flaccus, lepidique Terentius oris,
Nomina vel ſummis ſuſpicienda viris,
(Flete nefas, Muſae!) priſci miracula ſecli
Indignis veniunt dilanianda modis.
Poſt miſſam repetenda ſcholam muſea. Labore
Non intermiſſo mens ita fracta ſtupet.
Prandetur, pranſisque brevis conceditur, at mox
A ſolitis curis excipienda, quies.
Tum vero torquent Graecis immiſta Latina,
Et figit miſeram lingua Pelasga crucem.
Hebraice loquitur Xenophon, et ſuada videtur
Attica Sarmaticis barbarior que Getis.
Dignus erat perimi crudeli funere, primus
Qui Grajo pueros impulit ore loqui!

Ludi-

Digitized by Google

Luditur hinc, longi ſed non data copia ludi:
Unica conceſſos terminat hora jocos.
Jam privata patent collegia: jam chorus omnis
Ad ſua continuo ſigna vocatus adeſt.
Veſpere tum toto bibitur fuligo lucernae,
Si fors ſemiferum luſtrat Apollo Caprum.
Donec pallentes ſtudiis, chartisque ſepultos
Liberat e clauſtris coena parata ſuis.
Otia ſed ludis, utinam conceſſa bis anno
Surripiant curis non data penſa novis!
Iſta premunt, animique negant hos ferre labores,
Quos miſeris leges impoſuere novae.
Optima ſic pereunt vitae ſub lege ſevera
Tempora: ſic aetas luſibus apta perit!
Laetus ut exultat juvenis, ſimulatque ſcholarum
Subtrahit, excuſſo, libera colla, jugo!
Tum vero effuſis ruit immoderatus habenis,
Majoremque unum ſe putat eſſe Jovem.
Qualis, ubi invenit roſtro molita volucris,
Quam tenuere diu virgea ſepta, fugam.

Pipi-

Digitized by Google

Pipilat illa volans, coeloque potita patenti
  Incerto liquidum tramite ſulcat iter;
Talis, ubi explicuit juvenis ſe moribus iſtis;
  Vix ſua confuſa gaudia mente capit.
Excipit hunc auguſta domus, ſacra limina Muſis;
  Excipit hunc blando Pallas amica ſinu.
Protinus adventum laeti gratantur amici,
  Verbaque concipiunt ore precante bona.
Hos inter ſi quos veteres fortuna ſodales
  Objicit, et priſca pectora juncta fide,
Tum vero exactos meminiſſe laboribus annos,
  Et commilitii foedera grata juvat.
Hos ſtudiis adhibet, cumque his graviora retractans
  Subſidium, ſi quis ſcrupulus urget, habet.
Qui, tirocinii excuſſo bene pulvere nondum,
  Vix quatuor dedicit verba Latina loqui,
Cum primo affatu *dominus doctiſſimus* audit,
  Protinus hoc tituli geſtit honore novi.
Jamque eſt magnifice de ſe ſentire voluptas,
  Ingeniique aciem ſuſpicit ipſe ſui.

Jam

Digitized by Google

Jam nihil abjectum loquitur, dulcemque furorem
  Imbibit, ac tacito pectore magna ſapit.
Summorum ſuperant avidiſſima vota virorum,
  Quae ſtudio credit ſe didiciſſe brevi.
Plurima dum ſciolo nutrit concepta cerebro,
  Ante oculos ficti ludit imago boni.
Oblectant animum magnarum nomina rerum,
  Conjugium, tituli, gloria, nomen, opes.
Praeturam, trabeam fingit ſibi, ſeque fatigans
  Sit meritis, quaerit, dignior utra ſuus.
Omnia ſi fallant, in publica commoda nato
  Deberi ſaltem munera ſumma putat.
Spem fovet eventu majorem, neſcius illum
  Plus media decoris parte carere ſui.
Illum titillat reverentia debita myſtae,
  Et, quem ſplendorem pulpita ſacra ferunt:
Arte ſua hic aegros media de morte retractos:
  Judicio ereptos ſomniat ille reos.
Suaviter inſipiens animo deliria nutrit,
  Et ſequitur coecas per ſimulacra vias.

Sint

Digitized by Google

Sint haec vana licet, ſolida illo tempore certe
Praeſumit vanae gaudia mente rei.
Spem juvat egregie, ſi ſedulitate potentes
Foedere devinxit nobiliore ſibi.
Illum ſuſpiciunt, queis doctos poſſe labores
Spernere naſcendi ſors generoſa dedit.
Hunc aditum (neque enim eſt adeo moroſa juventus
Spectatrix generis) ſicubi quaerit, habet.
Doctorumque vetat ſtirpis ſors nulla virorum
Convictu dulci colloquioque frui.
Neve opponantur laſſantes corpora curae,
Improbus et pariens taedia longa labor:
Non finit hoc aetas, non natae in gaudia Muſae,
Torquerique ullis neſcia corda malis.
Alternis prudens vincit faſtidia ludis;
Illa fugant modico pocula miſta mero.
Laetantur pariter, quoties agit otia Pallas,
Fallentes genio liberiore diem.
Poſt, ubi, ſepoſitis, repetuntur ſeria, ludis,
Promtius ad ſolitum ſponte reditur opus.

Digitized by Google

Si qua tamen ſubeunt curarum ſemina mentem;
Illis multiplici Muſa medetur ope.
Invenit Naſo dubiis ſolatia rebus
Nulla, niſi in ſtudio Pieridumque mora.
Addite, quod multis variata ſcientia rebus
Per ſe ſolliciti ſit medicina mali:
Sive quis inquirit fidei ſacraria ſanctae,
Praeſentique gerit pectora ſacra Deo:
Mente pia meditans coeleſtia, plurima ſentit
Gaudia, quae potius Muſa ſevera canat.
Seu conferre juvat patrias legesque Quiritum,
Se quoque deliciis utraque jura probant.
Sive Machaonias exercet gnaviter artes,
Quaeque juvant, diſcit, pharmaca, quaeque nocent:
Hic illum natura docet miracla, ſtupentem
Numinis excellens omnipotentis opus.
Seu juvat hiſtoriis animum oblectare vetuſtis,
Ad nutum redeunt ſecula priſca ſuum.
Hic jubet, atque iterum multo cum milite Caeſar
Civili Aemathios ſanguine foedat agros.

Digitized by Google

Scipio cladem iterat; cineri ſuppoſta reſurgit
Aemula Romana Byrſa cremenda face.
Intrepidus ſtructas acies, et utrinque paratos
Accenſis animis cernit ad arma viros.
Enſibus in mediis, nullo violabilis ictu,
Fortia facta ducum, fulgida tela videt.
Sic, quo ſe inclinet dubia victoria pugna,
Diſcere ſuſpenſus, nec patienter avet.
Hic animos populi contundit Agrippa furentis,
Ventris et audito munere, turba ſilet.
Illic praebentem flagris laceranda magiſtrum
Ridet terga tua, magne Camille, fide.
Plura quid hic memorem? ſtupuerunt ſingula quicquid
Secla, ſuo tanquam tempore nata ſtupet.
Sive geographicis lubet impalleſcere chartis,
Immenſo mirum quicquid in orbe, videt.
Hic maria, et terras, montes, et flumina, et urbes,
Et magna in parva regna videt ſchedula.
Ipſe domi ſervans bicolores adſpicit Indos:
Exiguo immenſas tempore tranat aquas.

Prae-

Digitized by Google

Praeteriens Scyllam et famoſa Ceraunia ridet,
Regna tridentiferi cuspide mota dei.
Tum docto juveni pandit natura receſſus
Abſtruſos, per quos lumina mentis eunt.
His oculis imae rimatur viscera terrae
Inviſa: his oculis tartara nigra patent:
His oculis imum ſubter labentia fundum
Recluſo cernit flumina magna mari.
Hic admiratur cete, populosque natantes,
Phocarum et tumidis corpora merſa fretis.
Nec jam unus ſatis eſt orbis: felicior illo,
Qui gemuit domita Perſide, vota facit.
His potitur; contemnit humum: ſublimis in altum
Fertur, et aethereas tentat adire domos.
Eſt illi librare atomos, genitalia coeli,
Et maris, et terrae ſemina lance datum.
Veſtigans lunaeque vias, ſolisque labores,
Coeleſtes citior luſtrat utroque plagas.
Tarda Lycaonii miratur plauſtra Boötae,
Atque in raptoris ſidera fronte Jovis.

Cur ita cunctentur Cancri ſub ſidere, diſcit:
Cur properent Capri frigore ſolis equi:
Nubila cur dirum coelo minitantia caſum
Horriſono flammas atra fragore vomant:
Unde tremat tellus: quae mille coloribus irin
Imbriſero jubeat cauſa nitere polo:
Quomodo formetur grando: quae patria ventis:
Stellatae volitent quo genitore nives:
Qua vi turgescens invadat litora pontus,
Inque vicem refluo ſurgat arena mari.
Et, quoniam novit, non illi bella minatur
Horrida ſanguineo crine cometa rubens.
Algentique poteſt Saturnum implere colono:
Civibus eſt ejus ſtella habitata Jovis.
Sic juvat in reliquis montesque urbesque planetis,
Fluminaque, et certas conſtituiſſe domos.
Muſa ſed o quantum nimium temeraria campum
Ingrederis! nimis eſt area lata. Tace.
I nunc, et doctos juvenum contemne labores,
Quisquis es, irata nate ſub Urania.

EPISTO-

Digitized by Google

EPISTOLA
AD
CORNELIUM JOANNEM GROENEVELDT,
J. U. D.

[*Leidam.*]

PEr ſaltus, per tesqua, canum latratibus acta,
  Confugit ad tutam territa cerva caſam:
Alatus, metuens delphinem, piscis in undis,
  Audet in ignotam ſponte venire ratem:
Quique modo effugit, maternis tectus ab alis,
  Horret adhuc, hoſtem pullus adeſſe putans:
Seque puer lacrymans condit genitricis in ulnis,
  Irati metuens verbera ſaeva patris.
Sic infelicem rigidus me terruit hoſtis.
  Ad te confugio ſubſidiumque peto.
Tu mihi lapſarum ſolus fiducia rerum:
  Tu mihi praeſidium, tuque levamen eris.
Hora, leves miſit quae me genitalis in auras,
  Principium miſerae conditionis erat.

Digitized by Google

Indignas nullo poenas pro crimine pendo,
  Haud uno infelix cogor et eſſe modo.
Laeſerunt nec ſacra manus, nec numina lingua,
  Et mea (non nescis) crimine fama vacat.
Legitimi nunquam violavi foedera lecti,
  Vita nec eſt ulla labe notata mea.
Falſiloqui (et ſi quis Therſite turpior, adſit)
  Si quid habent, veniant in mea damna viri.
Inveniant, dicant, ſpargant per verba venenum,
  Lethalem amittet dira cicuta luem.
Antidotum mihi candor erit, nec conſcia fraudis
  Virtus, et nullo tempore laeſa fides.
Integra ſit vitroque mihi mens purior ipſo;
  Me tamen (ecce nefas) vincula dura premunt.
Heu! Ubi jus? Superamne igitur, tellure relicta,
  Virgo domum, ut docuit te ſua jura, petit?
Neve quid ignores, triſtes en accipe caſus,
  Obrueritque meum quanta procella caput.
Auxerat occiduus rerum Latonius umbras,
  Atque habuit finem cura diurna ſuum.

Digitized by Google

A medio numeranda die vix nona ſonabat,
Quae veſpertinos praebuit hora cibos.
Omnibus una quies operum: nil tale timentem
Fata manent, capiti dira minata meo.
Egredior, nec me revocarunt omina, nec pes
Signa dedit, nec mus impediebat iter.
Non fuit inſtantis proles Mineïa luctus
Nuncia, nec triſtes ſigna dedere ſtryges:
Non dirum genus Aſcalaphi ſub culmine tecti
Sedit, et horrendos edidit ore ſonos.
Egredior: ſocius comitatur, quoque tetendi,
Duxit ad ignotam me via coeca domum.
Sic ſecura fui, ſtabulo deducta tepenti,
Bos exit, lanii mox ferienda manu.
Hortenſi loca ſunt non longe diſſita porta,
Quae non debuerat pes tetigiſſe meus.
Huc ubi perventum eſt, aedesque intravimus illas,
Protinus injuſtis praeda petita fui.
Dux abiit. Teneor, ſaevaeque expoſta procellae
Deſeritur mediis naufraga puppis aquis.

Digitized by Google

Indignas nullo poenas pro crimine pendo,
  Haud uno infelix cogor et eſſe modo.
Laeſerunt nec ſacra manus, nec numina lingua,
  Et mea (non nescis) crimine fama vacat.
Legitimi nunquam violavi foedera lecti,
  Vita nec eſt ulla labe notata mea.
Falſiloqui (et ſi quis Therſite turpior, adſit)
  Si quid habent, veniant in mea damna viri.
Inveniant, dicant, ſpargant per verba venenum,
  Lethalem amittet dira cicuta luem.
Antidotum mihi candor erit, nec conſcia fraudis
  Virtus, et nullo tempore laeſa fides.
Integra ſit vitroque mihi mens purior ipſo;
  Me tamen (ecce nefas) vincula dura premunt.
Heu! Ubi jus? Superamne igitur, tellure relicta,
  Virgo domum, ut docuit te ſua jura, petît?
Neve quid ignores, triſtes en accipe caſus,
  Obrueritque meum quanta procella caput.
Auxerat occiduus rerum Latonius umbras,
  Atque habuit finem cura diurna ſuum.

Digitized by Google

A medio numeranda die vix nona ſonabat,
Quae veſpertinos praebuit hora cibos.
Omnibus una quies operum: nil tale timentem
Fata manent, capiti dira minata meo.
Egredior, nec me revocarunt omina, nec pes
Signa dedit, nec mus impediebat iter.
Non fuit inſtantis proles Mineïa luctus
Nuncia, nec triſtes ſigna dedere ſtryges:
Non dirum genus Aſcalaphi ſub culmine tecti
Sedit, et horrendos edidit ore ſonos.
Egredior: ſocius comitatur, quoque tetendi,
Duxit ad ignotam me via coeca domum.
Sic ſecura fui, ſtabulo deducta tepenti,
Bos exit, lanii mox ferienda manu.
Hortenſi loca ſunt non longe diſſita porta,
Quae non debuerat pes tetigiſſe meus.
Huc ubi perventum eſt, aedesque intravimus illas,
Protinus injuſtis praeda petita fui.
Dux abiit. Teneor, ſaevaeque expoſta procellae
Deſeritur mediis naufraga puppis aquis.

Digitized by Google

Vim patior, cupioque quidem tentare ſalutem;
Sed ſpes eſt ſubitae nulla relicta fugae.
Nec mora, mox aliquis nectit mihi vincla, fuiſſent
Quae potius membris injicienda ſuis.
Abripior, nec rite mihi fas dicere cauſam,
Quique mihi objecit crimina, nullus erat.
Tum mihi clauſtra parant, coecis horrenda tenebris;
Claudor in aethereae lucis egente domo.
Hic ego per tenebras mecum mea fata revolvo,
Materiem luctus ſuppeditante loco.
Quisquis is eſt, triſti Buſiride ſaevior hoſtis,
Qui voluit vitae proditor eſſe meae,
Flagitio, precor, hunc pro tanto numina perdant,
Quamque ego damna tuli, dent graviora pati!
Neve roges, fuerit quanti mora temporis illic,
Viſa mihi eſt totus quaelibet hora dies.
Dant leve ſolamen comites, poterantque videri
Alterius noſtrum damna levare malum.
Nox erat, et, cura ſomnos faciente diurna,
Depoſuit lectis corpora laſſa quies,

Unde-

Undecimam, totam qui nocte perambulat urbem,
Et voce, et crotalo nunciat eſſe vigil.
Ecce venit, nondum notus, ſervator, an eſſet
Hoſtis, terga premens quadrupedantis equi.
Protinus exiguae verſatus cardo feneſtrae
Dat crepitum, et lunae fecit amicus iter.
Sperabam meliora, ſimul pejora timebam:
In partes rapior ſpeque metuque duas:
Cum nocturnus eques manibus mea vincula duris
Prendit, et, Huc, rauco murmure dixit, ades.
Pluraque non dixit, vel non audivimus, uſu
Scilicet hoc ſenſus deficiente mei.
Impiger ante tamen male olentis guttura baccae
Juniperi humectat rauca liquore gravi.
Imponor (fuit illa mei pars maxima damni)
Indigni tergo ſarcina triſtis equi.
Prô dî! quam longe torpentia crura trahebat
Verbere vel ſtimulis vix agitandus equus!
Cernuus et veteris virtutis non memor ille
Jam jam tangendam vertice ſpectat humum.

Digitized by Google

Vomere ſulcatis nuper rugoſior arvis.
  Laxatur ſiccis oſſibus atra cutis.
Curarum vacuus ductor cantabat amicae
  Crura, manus, oculos, colla, labella, comas.
Sed mea ſollicita trepidant formidine corda,
  Quaſſaque diverſus pectora motus agit.
Si proceſſiſſem, populi comitante caterva,
  Plurima perque viam pompa ſecuta foret,
Tunc equidem veterum potuiſſem more videri
  Tarpejo duci victima ſacra Jovi.
Jamque peracta viae pars tertia. Siſtimus, horas
  Pagus ubi pediti diſtat ab urbe duas.
Hic iterum vili vires bene potus Jaccho
  Colligit, et feſſum vix bene flectit equum.
Haerens haud aliter pando Silenus aſello
  Vix artus fertur ſuſtinuiſſe ſuos.
Jamque viae majus ſpatium poſt terga relictum,
  Et, quae reſtabat, pars minor illa fuit.
Hic mihi viſa meo ſimili fuit obruta caſu
  Ducenda ad varios vincta juventa locos.

Huc

Digitized by Google

Huc Baccho devota cohors confluxerat, atque
Certabat turpi ruſtica turba mero.
Ridet, et effuſo distorquens ora cachinno
Inviſos miscet per ſua verba jocos.
Proh facinus! noſtris inſultant caſibus illi,
Nec poſſunt rigidos damna movere viros.
Parva mora eſt, mutantur equi, diſpergimur omnes,
Et, quo debemus, quisque tenemus iter.
Progredimur, nec adhuc properantis nuncia lucis
Titanem clara voce ſalutat avis.
Venimus in celebrem, cui Pallas praeſidet, arcem,
Qua meus eſt olim natus in urbe pater.
Huc ubi perventum eſt, tacito ſic murmure dixi:
Salvete, o patrii, dulcia tecta, lares.
Inde via recta, mediam quae dividit urbem,
Non intermiſſo pergimus ire gradu.
Donec ad ignotas tandem pervenimus aedes,
Et finis longae eſt addita ſumma viae.
Hic ubi paulisper, velut in ſtatione remanſi,
Ignorans, praeſens quid daret hora mali.

Hic

Hic aliquis, ſummo ceu miſſus vertice coeli,
  Monſtrabo, dixit, quod tibi reſtat, iter.
Firmavit quoque verba fides, dextraque prehendens
  Duxit in hanc tandem me bonus ille domum.
Dî tibi pro meritis magnis majora rependant,
  Quisquis es, et fato dent mediore frui!
Tuta tamen timui, nec me ſatis ante putavi
  Incolumem, et ſolidam non fore rebar opem,
Quam tu, detracto ſolviſti vincula, ſigno,
  Lectaque ſunt oculis, quae tibi verba fero.
Neve roges, huc quis me miſerit; Ecquid amici
  Eſt tibi nota manus, quem tibi junxit amor?
Ille: eſt, e cujus cerebro prognatus, eadem,
  Qua tu, nascendi ſorte, Minerva, fruor.
Ille tibi dicit ſincero corde ſalutem.
  Eſt bene, ſi valeas: et valet ille bene.
Mandaſſet mihi plura, ſed haec, cum venerit ipſe,
  Materies tecum grata loquentis erit.
Hic aderit (faveat modo Numen!) in urbe, priusquam
  Phoebus anhelantes aequore condet equos.

Quod

Digitized by Google

Quod ſupereſt, pater hanc partu generavit eodem:
  Haec ſoror eſt: hujus credita cura mihi.
Haec fuerat comitanda mihi, niſi terror iterque
  Triſte fatigaſſet: nec mihi nota via eſt.
Si quis adeſt igitur; velit hanc deducere, ſi non
  Eſt grave: fert amitae verba legenda ſuae.

Woerdae,
Prid. Cal. Apriles
CIƆIƆCCXXXVI.

ODONT-

Digitized by Google

ODONTALGIA

AD

S. B.

MUſa, quis iſte furor? Non hunc mihi fecit Apollo,
Plena nec ex illo numine corda gero.
Dummodo non aliquis genius praecordia quaſſet
Infenſus, placido qui neget eſſe mihi.
Proh ſuperi! Quantum video diſcrimen in illis!
Quam varias vires alter et alter habet!
Ille ſolet vigiles de pectore pellere curas:
Semper at infelix huic comes ire dolor.
Ille potens addit validas in carmina vires:
Hic vetat in ſolitos cogere verba pedes.
Hei mihi! Quanta miſer patior tormenta dolorum!
Heu! Quantum lacero regnat in ore malum!
Includor tecto, poſitisque ſine ordine lignis,
Aſſiduo tepidus lucet ab igne focus.

Ne-

Digitized by Google

Neſcius ipſe mei, nunc huc, nunc efferus illuc
  Pellor, et ignoto corda furore tument.
Noctis in innumeras diviſo tempore partes
  Horarum; auroram tam procul eſſe queror.
Et pudet, et fateor, deſerto ſaepe cubili,
  Quadrupedem nudum me tetigiſſe ſolum.
Conveniunt multi, qui me ſolentur, amici;
  Hoc uno potior ſors mea, Naſo, tua eſt.
Aſt alii ficto referentes ſeria vultu
  Mordaces miſcent per ſua verba jocos.
Miror ſolantes alios, aliosque jocantes:
  Sic ſequitur genii ſemina quiſque ſui.
Plurima circumſtat medicorum copia; gratam
  Quisque ſibi medicae vindicat artis opem;
Inter quos aliquis caperata fronte ſeverus
  Eminet, ora gravi digna Catone gerens.
Nec facies ignota fuit; mihi namque, ubi claris
  Luxuriat lymphis Rottera, viſus erat;
Horum de numero, qui per fora publica vanam
  Spem populo, et pretio vendere verba ſolent.

Au-

Digitized by Google

Aurea praetexit rubicundam fimbria veſtem,
  Conſtringit que novo fibula more pedes.
Pendebant longo dentes ex ordine loro;
  Oſſa ſonum tremula mota dedere manu.
Hunc ubi compoſito video procedere greſſu,
  Vultus, neſcio quae, triſtia ſigna dedit.
Nec mora, continuo taciturna ſilentia rumpens,
  Edidit hos ſumma cum gravitate ſonos:
Quod pateris ſaevos, putrefacto dente, dolores,
  Grataque nulla venit nox tibi, nulla dies:
Quod tumidam obducis ſpurco velamine malam;
  Quod recubas pigro pondus onusque toro;
Crede mihi, hoc artis facit ignorantia noſtrae,
  Quod que latet, morbi quae ſit origo tui.
Hoc ego conjiciens miſeri in ſolatia veni,
  Speratae que diu cauſa ſalutis ero.
Teque minus noſtris (quod nolim) credere verbis
  Nobile non patitur nomen in orbe meum.
Ampla meas artes novit Germania, quaeque
  Occiduis lavitur terra Britannis aquis.

Doc-

Doctrinam didicere meam Batavique Scythaeque,
  Et quorum Rhodani proluit unda ſitim.
Sunt mihi conſpicuis regum diplomata ſignis,
  Deposcuntque ſuam regia verba fidem.
Coeliacus, tabes, elephantia, calculus, hydrops,
  Et cura facili tarda podagra fugit.
Sed, quando ſtulti eſt, verbis ſua tollere facta,
  Narrator propriae non ego laudis ero.
Ad rem pervenio; modo dictis adjice mentem,
  Quidque artes valeant, experiere, meae.
Seu tibi dens niger eſt, ſuccis exeſus acutis;
  Seu tibi inaequali rheuma dolore ſalit:
Sive inflata tibi gingiva parulide turget;
  Continuo fugiet triſte calore malum.
Maxillas cataplasma tegat; cataplasmate craſſus
  Tolletur calido ſuccus et humor iners.
Sumatur liquidi tibi faex vel ſcoria plumbi,
  Et reſina ſequax, quam terebinthus habet:
Det tibi praeterea quatuor gallina vitellos;
  Cunctaque ſint pingui munere miſta cici.

D Sunt

Sunt aliis etiam fomenta levantia ſuccis,
  Seu tu paſtillum, ſive malagma velis.
Caetera, quae dixit, narrarem plurima, ſi non
  Exciderant animo nomina multa meo;
Nomina vel penitus docto ignorata Maroni:
  Nomina barbarico paene tremenda ſono.
Et timui, et tacito mecum ſic murmure dixi,
  Contemplans baculum, mire Galene, tuum:
In volucrem Picum cum vertit carmine Circe,
  Ut perhibent, baculo contigit ora viri.
Forſitan haec, ſocios cum transformaret Ulyſſis,
  Aut his, aut verbis talibus uſa dea eſt.
Vertere te crebro vidi, aut vidiſſe putavi.
  Haec ferat exitium, quis ſcit, an hora mihi?
Quis ſcit, an in foedam, mutato corpore, formam
  Aut aſini, aut moeſtae carmine muter avis?
Forſitan in longam maculoſus porrigar alvum
  Serpens, Pergameo beſtia ſacra deo.
Talia ſollicitus triſti dum mente volutans
  Tangendum virga jam puto, jamque caput,

Ad-

Digitized by Google

Advenit, aetatis cujus tibi redderet annos
  Ruga tenebroſae plurima frontis, anus.
Illa ſubinde gemens, et calvo vertice nutans:
  Ipſa tuo, fili, vulnere tangor, ait;
Inque dolore tuo meus eſt dolor. Ipſa ego virgo
  Nunc repeto, tulerim quantaque, quaeque, memor,
Docta malis, didici miſeris ſuccurrere, et aegro
  Haec dudum pietas debita noſtra tibi eſt.
Utere conſilio, quod avo proavus dedit olim,
  Et quod avus patri tradidit, ille mihi.
Quod ſatis eſt olei, haud multo repleta tabaco
  Charta tibi (nam ſic fiet in igne) dabit;
Hujus goſſypium pinguedine tinge, cavoque
  Immitte; eſt viduus qua tibi dente locus.
Aut mel in ore tene capreae cum lacte. Probatum eſt,
  Et non officio deerit utrumque ſuo.
Haec medicina tibi eſt multo praeſtantior auro,
  Dixerat, et balbo deſiit ore loqui.
Tunc aliquis: Purgata prius tibi proderit alvus:
  Tutus laxato corpore, dixit, eris.

 Pulpa

Digitized by Google

Sunt aliis etiam fomenta levantia ſuccis,
  Seu tu paſtillum, ſive malagma velis.
Caetera, quae dixit, narrarem plurima, ſi non
  Exciderant animo nomina multa meo;
Nomina vel penitus docto ignorata Maroni:
  Nomina barbarico paene tremenda ſono.
Et timui, et tacito mecum ſic murmure dixi,
  Contemplans baculum, mire Galene, tuum:
In volucrem Picum cum vertit carmine Circe,
  Ut perhibent, baculo contigit ora viri.
Forſitan haec, ſocios cum transformaret Ulyſſis,
  Aut his, aut verbis talibus uſa dea eſt.
Vertere te crebro vidi, aut vidiſſe putavi.
  Haec ferat exitium, quis ſcit, an hora mihi?
Quis ſcit, an in foedam, mutato corpore, formam
  Aut aſini, aut moeſtae carmine muter avis?
Forſitan in longam maculoſus porrigar alvum
  Serpens, Pergameo beſtia ſacra deo.
Talia ſollicitus triſti dum mente volutans
  Tangendum virga jam puto, jamque caput,

Ad-

Advenit, aetatis cujus tibi redderet annos
  Ruga tenebroſae plurima frontis, anus.
Illa ſubinde gemens, et calvo vertice nutans:
  Ipſa tuo, fili, vulnere tangor, ait;
Inque dolore tuo meus eſt dolor. Ipſa ego virgo
  Nunc repeto, tulerim quantaque, quaeque, memor,
Docta malis, didici miſeris ſuccurrere; et aegro
  Haec dudum pietas debita noſtra tibi eſt.
Utere conſilio, quod avo proavus dedit olim,
  Et quod avus patri tradidit, ille mihi.
Quod ſatis eſt olei, haud multo repleta tabaco
  Charta tibi (nam ſic fiet in igne) dabit;
Hujus goſſypium pinguedine tinge, cavoque
  Immitte, eſt viduus qua tibi dente locus.
Aut mel in ore tene capreae cum lacte. Probatum eſt,
  Et non officio deerit utrumque ſuo.
Haec medicina tibi eſt multo praeſtantior auro.
  Dixerat, et balbo deſiit ore loqui.
Tunc aliquis: Purgata prius tibi proderit alvus:
  Tutus laxato corpore, dixit, eris.

Digitized by Google

Pulpa recens extracta, dabit quam caſſia fragrans,
  Sordibus ejectis, viscera pura dabit.
Quid multis? ſua quisque dedit medicamina morbo,
  Nullus Apollinea ſuſtulit arte malum:
Cum tu, noſter amor, cujus mens ebria ſacro
  Fonte, velut coeli vertice miſſus ades;
Sola Machaoniis, inquis, praeſtantior herbis,
  Adferet optatam Muſa ſalutis opem.
Carmina debilitant genii tentamina pravi:
  Aonia fugiet, qui nocet, arte dolor.
Adde, quod eſt opifer Phoebus, faciuntque potentem,
  Quem colimus vates, carmen et herba deum.
Quas tibi pro tanto referam medicamine grates?
  Quove hoc penſandum munere munus erit?
Nam tu de multis poteras, cariſſime, amicis
  Solus in anguſtis rebus adeſſe mihi.
Ite procul, medica quos dicunt arte potentes.
  Ite, Machaonii, nescia turba, ſenes.
Utilis eſt medicina quidem, ſed diva poëſis
  Praeſtat. Habet laudes illa vel illa ſuas.

Dum-

Digitized by Google

Dummodo ſit dives mihi vena, novemque faventes
  Aoniae veniant ex Helicone deae:
Dum non Caſtaliae concrescant frigore lymphae,
  Conſilio prudens utar, amice, tuo.

Cal. Jan.
CIↃIↃCCXXXIII.

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚὸΝ
AD LIBROS

Metu hoſtium Breda profugos.

CIↃIↃCCXLVII.

Hinc fugite, o ſemper cariſſima pignora, libri:
Hinc fugite, o vitae gaudia ſola meae.
Hactenus invictos duris aſſultibus urbis
Vicinae muros perfidus hoſtis habet.
Scilicet excubias per moenia cuncta ſopori
Intempeſtivo membra dediſſe, ferunt!
Poſteritas, ne crede nefas; non fortibus auſis
Proſtravit noſtras Gallicus enſis opes.
Expers virtutis ſolitas confugit ad artes,
Magnaque perfidiae praemia Gallus habet.
Sola iſtum timeat cum virgine mater inermis,
Si quis et in capta manſerit urbe ſenex.
Egregiam vero laudem tener addidit infans,
Cujus in innocuum eſt condita ſica latus!

Vobis

Digitized by Google

Vobis diverſum, et crudo violentius enſe,
Ni caveo, fatum, quo pereatis, erit.
Ergo, quas nobis transmiſit docta vetuſtas,
Exedet ingentes hoſticus ignis opes?
Non patiar. Fugite hinc. Veſtrum pars magna furorem
Novit, et indomiti flebile Martis opus.
Me jubet infauſti fatum implacabile ſecli
Vobis cum vitae parte carere meae.
Semiferi quis nunc Capricorni frigora mecum,
Solſtitii quę pigras tranſiget usquę moras?
Vos mihi ſollicito requiem, triſtique medelam,
Quin aegro placidam ſaepe tuliſtis opem.
Rebus in adverſis ſolamen mitę dediſtis,
Et certum in dubiis me docuiſtis iter.
Deliciis vero recreaſtis pectora quantis,
Cum licuit fato candidiore frui!
Pro quibus officiis vobis indigna paratur
Merces, quos coeci carceris umbra premet.
His vobis manibus (quo quid lugubrius usquam eſt?)
Horrentes tenebras, duraque vincla paro.

Digitized by Google

Ingratus cuiquam potero fortaſſe videri,
  Quod tamen a noſtro pectore crimen abeſt.
Haec quoque ſi medius per moenia ſaeviet hoſtis,
  Bredaque victori praeda (quod abſit!) erit;
Si mihi quod fors cunque dedit, rapiente tyranno,
  Relliquias coget vendere pauperies,
Ventris ubi vacui rabies furet improba, viles
  Poſtremi dabitis vendita turba cibos.

AD

Digitized by Google

AD LIBROS REDUCES

CIƆIƆCCXLVIII.

SIccine ab exilio vos, o mea pignora, libri,
  Pax reduces tandem reddidit alma mihi!
Salve, noſter amor, ſemper mihi grata ſupellex,
  Chara cohors, ſtudiis officioſa meis.
Fugiſtis miſeri, vosque ad loca tuta coëgit
  Tendere vicino durus ab hoſte metus.
Jam curſum aſtrorum circumvagus ordo peregit,
  Et novus exactis menſibus orbis adeſt;
Nec vos interea tuto revocare receſſu,
  Nec potui longae taedia ferre morae.
Si manſisſetis, vobis ſubeunda fuiſſet
  Nulla noti rabies, nulla pericla freti.
Non petulans, fateor, nocuiſſet dextra, nec ignis
  Hoſticus, aut rabidi militis ira ferox.
Non tamen haec caruit ſtatio diſcrimine, quamvis
  Gallicus haud tetigit moenia noſtra furor.

Immiti pelago et rapidis committere ventis
  Cura mihi tantas provida ſuaſit opes;
Nam ſuperat tumidos Gallorum inſania ventos,
  Et gravior rauco militis ira freto eſt.
Armorum circumſtrepitant ubi cuncta fragore,
  Quid chartae et libri, copia inermis, agat?
Invaluit quoties, conſternatamque per urbem
  Terrores ſparſit nuncia fama novos!
Quae trepidi finxere homines, temuere pericla,
  Auxit et attonitos quaelibet hora metus.
Non ſemel audita tremuerunt pectora clade:
  Non ſemel huc retulit nuncius: Hoſtis adeſt.
Hi quoque vicinas oculi videre ruinas,
  Per que meas cecidit lacryma larga genas.
Quin etiam hoſtiles (mens horret dicere!) quam vix
  Effugi, cautis non ſatis, ipſe manus!
Inque ſuburbani Gallis latitantibus umbra
  Pineti, ferme praeda latronis eram.
Hi, quibus amplector nunc vos, fera vincla lacerti
  Diſtorti indignis paene tulere modis.

Sed

Digitized by Google

Sed quid verborum fruſtra diſpendia ſector?
 Quid ceſſo pulſa rumpere vincla mora?
Vincula vi duri ferri rumpantur: adactis
 Fortiter et cuneis undique coſta gemat.
Scrinia diſſiliant repetitis ictibus: atra
 Jam latuere ſatis pignora noſtra domo.
Reddat Hyperboreae duriſſima filia ſylvae,
 Quas ipſi domini credidit angor, opes.
Nunc ego quem primum amplectar? Cui dulcis amoris
 Primitias inter tot monumenta feram?
Seu mihi Romanae facundia florida linguae,
 Seu mihi Grajorum copia culta placet.
An vos, qui priscae revocatis tempora vitae,
 Nec ſinitis veterum facta perire patrum?
An vobis pictas ducibus novus advena terras,
 Et rigidis viſam regna peruſta polis?
Innumeros potius cupiam cognoſcere mundos,
 Et lunae, et nitidi diſcere ſolis iter?
An leges ritusque, quibus reſpublica quondam
 Gentibus antiquis, imperiumque ſtetit?

An

Digitized by Google

An vobis potius naturae jura magiſtris
  Perſequar, et ſummi facta ſtupenda Dei?
Quos inter ſplendes, Plini doctiſſime, nuper
  Addita divitiis fulgida gemma meis.
Ut reliquis eadem fuerit fortuna viarum,
  Solus ab inviſo carcere liber eras.
Haereat incertus licet, et diviſus in omnes
  Affectu dubio pendulus erret amor;
Vos tamen, Aonii, cultiſſima turba, poëtae,
  Non eritis ſtudiis ultima cura meis.

E'Y-

Digitized by Google

Ε'ΥΧΑΡΙΣΤΗ'ΡΙΟΝ

AD

SENATUM ET MAGISTRATUS CULEMBURGICOS

PRO PYXIDE TABACI ARGENTEA,

Inſignibus civitatis artificioſe inſculptis ſuperbiente,

DONO MISSA.

ARguit imperiis animos felicibus aptos
  Gratia pro merito reddita magna levi.
Scilicet haec virtus ſuperos attingit honores:
  Non alia hac brevior ducit ad aſtra via:
Non alia innumeros docuit res condere ritus:
  Non alia antiquos multiplicare Joves:
Non alia quondam prognatus origine Belus
  Poſt fata Aſſyrio cultus in orbe Deus.
Heroum benefacta cadant, foecunda Deorum
  Graecia neſciſſet numina vana ſequi.
Hac arte innixos rutilantibus addidit aſtris
  Romula gens ſummos non bene grata duces.

At

At vos, o Proceres, benefactis grata rependens
Munera, quo fas eſt, carmine Muſa colit.
Quae plumbo gravis ante fuit, potiore metallo
Dextera nunc ſociis officioſa nitet.
Quis mihi nunc dicat, quae magnis magna reponam,
Dona que quae tanto munere digna parem?
Opportuna monens docto ex Helicone Camoena
Invenit in dubiis ingenioſa viam.
Quinque nitent, inquit, rutilanti ſidere ſtellae,
Lactea ubi in partes eſt via ſciſſa duas;
Anſerem ubi raptat Vulpecula; dextera Cycni
Unam Ledaei vindicat ala ſibi;
Haud merito: at quatuor reliquae ſine nomine ſpretae
Hactenus, Urania, cur, ſtomachante, latent?
Per te ignobilibus vetus haec injuria flammis
Ceſſet, et in coelo nobile ſidus erit.
Scorpius exoriens quoties ſua brachia pandit,
Surgat ab eois flammea Pyxis aquis:
Et, quoties oritur cuſtos Erymanthidos urſae,
Occiduis condat ſe quoque Pyxis aquis.

Ergo

Digitized by Google

Ergo deinde novum PYXIS decus addita ſtellis
Fulgeat haec nitido, me ſtatuente, polo.
Ingrato nunquam venturi crimine ſecli
Gratia ſic facti multaque fama ruet.
Vos, quibus immenſum radio deſcribere coelum,
Et volupe igniferas eſt penetrare domos,
Uranie ſuadente, recens agnoſcite ſidus,
Et ſigno hoc veſtros condecorate globos.
At, mihi quos olim ſervarint fata, nepotes,
Hic vobis atavi commemoretur honos.
Si qui forte rogent (et erunt, qui talia quaerent.)
Quo, donum hoc vobis nobile, dante, venit?
Clara Culemburgi ſunt haec INSIGNIA grati,
Nec temere his fulgent, dicite, dona notis.
Grande quidem meriti pretium, at gravitate datorum
Clarius effulget multiplicatus honos.
Hoc atavi voluit fidei committere noſtrae
Aeternum domui provida cura decus.
Hoc pietas ſeros ſemper ſervabit in annos,
Gente nepos noſtra dum ſuper ullus erit.

CIↃIↃCCLIII.

Digitized by Google

IN

STATUAM

CLEMENTIS XIII. PONTIFICIS, CORNETI POSITAM EPIGRAMMATE TALI.

AMATISSIMO PRINCIPI

CLEMENTI XIII. PONTIF.

Opt. Max.

QUOD A GREGORIO XIII. PRIMUS

Quarto Nonas Maji CIↃIↃCCLXII.

CORNETUM,

Civitatem ſanctae ſedi addictiſſimam, ſua praeſentia *compleverit*, *aegrotantes* in *noſocomio* aliosque *ergaſtulo* traditos et *egenos* religioſa liberalitate juverit,

SENATUS POPULUS QUE CORNETANUS

POSUIT.

LEgerat hunc titulum caſta pietate ſeverus

Advena, et attonitus laudis honore ſtetit.

Et,

Digitized by Google

Et, Patietur, ait, Deus Optime Maxime, vindex
Raptorem laudis vivere dextra tuae?
Haec Cornetanae lepidiſſimus incola ſedis
Audiit, et, vulſa leniter aure, refert:
Non temere haec poſuit populus gratusque ſenatus,
Et culpa, illaeſo Numine, uterque vacat.
Qui *levat* infirmos ſolamine, viſitat *aegros*,
Dicatur digno nomine Papa BONUS.
Alloquiis adjecit opes, queis dives *egenos*
Juvit, et hinc MELIOR jure vocandus erit.
Qui *triſtes ſine luce domos* interritus intrans,
Quos ſua damnarunt crimina, voce levat;
OPTIMUS hic non ſit, quem tali nomine fures
Latronumque cohors flagitioſa colit?
Imperii triplici clarum diademate ſacri
Cur vere MAGNUM non venerere patrem?
Cui ſtatua in turba reliquorum ponitur uni,
MAJOREM reliquis jure vocare licet.
Qui Cornetanam, quanta eſt, *compleverit* urbem
Corpore; non merito MAXIMUS ille tibi eſt?

Digitized by Google

Omen ineſt numero: numero deus impare gaudet:
Nec temere eſt unum poſt duodena ſuper.
Debet Alexander majori cedere, poſſit
Ut CLEMENS DECIMUS TERTIUS eſſe deus.
Dixerat. Aſt hoſpes: Nihil eſt manifeſtius, at, qui
Me torquet, reſtat ſcrupulus unus, ait.
Si deus eſt Clemens, et Clemens debita cedet
Victima Plutoni, dic, ubi divus erit?
Haec ubi dicta dedit, loca non ſibi tuta reliquit,
Se tempeſtiva proripuitque fuga.

CIↃIↃCCLXII.

IN

IN MEDICUM SNELLIUM,

Pulveris igniti artificem.

I.

Pulveream peſtem medicus contundit et herbas
Snellius. En duplex mortis aperta via!

II.

Graminibus medico perimendi impune poteſtas
Sit data, at ignivomo pulvere ne liceat.

III.

Si pereunt herbis aegri, ſi pulvere ſani,
Quis vivat? Tantum, di, prohibete nefas!

IV.

Pulvis et herba nocent, ſubito mortalibus orbus
Orbis erit: ſolo haec peſtis in hoſte furat.

V.

Pulvis et herba juvant: pereat vi pulveris hoſtis,
Herbarum dulcem ſentiat aeger opem.

VI.

Si ſimul et perdunt, et ſervant pulvis et herba,
Par vere magnis regibus eſt medicus.

Digitized by Google

IN PHARMACOPOEUM ET MEDICUM,

Illum diſpenſatorem, in rationibus feralia debita medicamentis ſubjungentem;

Hunc funus conſulis, quem aegrotantem curaverat, ſequentem.

EX TEMPORE.

EFfectus ſequitur cauſam: medicamina morti
Praevia ſunt, ratio rite putata tua eſt.
Conditio medici, comitantis funera pejor;
Effectum ſequitur non bene cauſa ſuum.

AD

Digitized by Google

AD

AMICUM G. A. B.

Cum ille in barbaros milites incidens, pro ſpeculatore captus fere ſuſpenſus,

Ego equi calcitrantis ictu paene necatus fui.

CIƆIƆCCXLVI.

COeca nequicquam miſeri cavemus
Fata mortales. Deus unus omnes
Temperat caſus, placidoque, quos vult,
Numine ſervat.

Mille vitatis necibus per hoſtes
Militem curvat ſenium, ſuosque
Conjugi narrat vetulae labores
Tardus ad ignem.

Nauta nequicquam metuit procellas,
Sospes incaſſum tenet ille portum:
Hunc vagabundae ſua deſtinarunt
Fata leaenae.

Digitized by Google

Alter e turri furiis adactus
Deſilit praeceps: ſed eum cadentem
Excipit clavus, medioque corpus
Aëre librat.

Ira equi nuper fera calcitrantis
Paene contrivit caput immerentis,
Proximas ſparſo cerebro notante
Paene feneſtras.

Patris agnosco ſuperi ſuperſtes
Providam curam, memorique laudo
Carmine, et ſummas refero, reviſa
Conjuge, grates.

Ille fatalem revocavit ictum,
Sospiti et vivo dedit osculari
Parvulos natos, dedit intueri
Ora meorum.

Doctus exemplo propiore (teſtis
Frangipanorum furioſa turba)
Cum pependiſti ſpeculator inſons
Arbore pondus

Paene

Digitized by Google

Paene fatali, memor usque mecum
Sortis humanae, meliora ſperes,
Et, potes quantum, graviora vites,
Dulcis amice.

Gratulor caſum tibi fortuitum,
Gratulor caſum mihi fortuitum.
Dispari fato prope funerati
Vivimus ambo.

Digitized by Google

IN CHARTAM VOLATILEM, PUERILE LUDICRUM, PIA MEDITATIO.

CIϽIϽCCXLIX.

CHarta manu pueri, referens hominemve pirumve,
Mittitur adverſo, glutine juncta, noto.
Illa volat, medio praebens ſpectacula coelo,
Et caudam longo limite celſa trahit.
Siſte gradum, cujus mentem non maximus orbis
Terminat, et ferri qui ſuper aſtra ſoles.
Si ſapias, hic ne ſpectator inutilis adſis;
Ludicra res aliquid, quo docearis, habet.
Tollitur in ſuperam, ceu charta volatilis, auram,
Subjectamque Deo mens ſacra ſpernit humum.
Sed, ſimulac Zephyri ponit vim ſpiritus omnem,
Sublimi coeli de regione cadit:
Mens pia, Divinae niſi perflat ſpiritus aurae,
Quam petiit, coeli de regione cadit.

Ille

Digitized by Google

Ille voluptati ſemper contraria mandat,
  Et cum corrupta praelia carne gerit.
Plane ut, cum vacuo libratur in aëre charta,
  Obniti adverſis cogitur illa notis.
Haud aliter Divina regunt oracula mentem,
  Quam chartam aëriam ſtupea vincla tenent.
Illa vagaretur rapidis ludibria ventis,
  Si poſſet motu liberiore vehi.
Mens pia non aliter, ſine Numine ſola relicta,
  Hoſtibus erraret praeda petita feris.
Visne, probem? Extentum reſecetur forfice filum,
  Et videas, pondus num ferat aura diu.
Mens viduata ſacro, quae vitae eſt regula, verbo,
  Protinus in tenebras praecipitata ruet.
Jactatur, quatitur crebro, dum charta vagatur,
  Aëris aſſurgens inferiore plaga;
Aſt, ubi jam propior coelo, aut immota quieſcit,
  Altior aut placidum vix movet aura latus:
Innumeri primis obſtant conatibus hoſtes,
  Et vexat mentem vis inimica piam;

Digitized by Google

Sed, rabiem ſaevam tandem eluctata, quieſcit,
  Cum victrix fruitur jam propiore Deo.
Charta quod in medio ſpectabilis aëre pendet,
  Utile, quod diſcas, hinc quoque, lector, habe.
Qui ſapiens meliora, Deo pia corda dicarit,
  Ut nitido fulget ſtella coruſca polo.

KPYΠ-

Digitized by Google

ΚΡΥΠΤΌΜΕΤΡΟΝ,

SIVE

EPISTOLA

Tota conſtans verſibus ſenariis.

HENRICUS HOOGEVEEN,

Pater Cariſſimo

JANO HOOGEVEEN

D. S. P.

SI, qui ſtatim dat, bis dat; ille dat ſtatim, qui poſt moram bis dederit, et ſatisfacit, reddens petitis plura, deſiderio. Ἐβουλόμην ἐγὼ πεζὸν λόγον, καὶ ἰδοὺ, ἐδεξάμην τὸ ἔμμετρον, χαίρων ἄγαν, opere quidem, ut video, tumultuario hic exaratus eſt, ſed interim ſua non deſtitutus prorſus elegantia. Laudo tuum ingenium et probatam audaciam. Si pergis, olim te manebit gloria, in eruditis et locus non ultimus.

Domi quidem eſſe ſalva ſcribis omnia: ſed de altero

tero illo, quod facit moleſtiam, augetque curas, non patri ſatisfacis: nam, quas Joannes res agat, ſcribis nihil. Suſpicione non caret ſilentium. Novi indolem: cum duriter tractatur, eſt praeceps, et iracundus, acer, pervicax; cum lenius, fit moriger, tractabilis: blandum, modeſtum, ad exſequenda inveneris mandata promtum, quem que facti poenitet. Nunc altera petitione te rogo, et obteſtor, ut curam parenti hanc eximas, cui, te ſilente, clanculum nunc, neſcio quod, omen obrepit; loquente, forſitan, quae nunc timemus anxii, ridebimus: graviora enim putantur eſſe, quae latent.

Sed quid? Tacebit frater ergo maximus? nec obſtinaci ſit modus ſilentio? Animi moleſtam, ſi ſapit, dum tempus eſt, dejectionem mittat, et felicius ſperare de ſe diſcat. Exſpectaveris nil magni ab illo, magna qui non audeat ſpirare. Commendavit hos antiquitas, qui, quamlibet fortuna votis obſtitit, de grandiore decidêre ſpe tamen.

Titulos librorum quid rogas? Videlicet res eruditionis

Digitized by Google

tionis illa maximae eſt! Hos hic notare ſuppudet. Curaveris haec optime.

Socerum imbecillis corporis animique vires debiles, et caetera injurioſi multa ſenii incommoda, prope quinquies decem per annos munere cum laude functum, lampadem nunc alteri deferre cogunt. Eſt quidem hic notus tibi Bredanus, hac in urbe qui uſurariam exercet artem. Sic quidem noſtrae rei et noſtro lucello detrahetur nonnihil. Sed pareamus, ſi jubet neceſſitas: clavos trabales et manu cuneos gerit. Fit ut ſequatur honore functos gloria, ſed non ſtipendio beant haec tempora. Fortaſſis excipis ſacros antiſtites. Avis fuit quoque rara deceſſor meus, cui profuit tunc Principis praeſentia.

Mirerne Fuscum garrientem inania? Ni res ſequatur verba, habes ſolatium, quod accinas Horatiano carmini:

Cui domi panis ſatis eſt merique,
Non eget cruſtis, ceraſis, nec horto,
Multa nec curat bona pollicentis,
Fusce, loquelam.

Sed

Sed de Joanne quam citiſſime, velim, rescribe. Davidi ſalutem plurimam ſocer, ſocrus, mater, ſoror que impertiunt, fraterque mecum, te que ſoſpitem volunt. Ames amantem filius patrem.

Vale.

Culemburgi III Non. Aug.
CIↃIↃCCLVII.

Digitized by Google

CARISSIMO PATRI

HENRICO HOOGEVEEN

S. P. D.

JANUS.

NI ſaniori ſaeculo recentia
Suſpecta jure jam forent miracula,
Anilibus que cautior mens fabulis
Fidem negaret frivolis que ſomniis;
Nullo labore credulis obtruderem,
Spretis ſepulcris jam redire mortuos.
Ridere doli; cum Tuis potiſſimum
Id literis evincerem noviſſimis:
Quas ſi legendas, at paterno nomine
Non indicando, cuipiam concederem
Styli perito, clamitaret ocius:
„ Jo triumphe! quem ſepultum novimus

„ Aevo

„ Aevo parentum, redditus nepotibus,
„ Jo triumphe! vivit ipſe *Baudius!*
Feſtiva cujus indoles, ut omnium
Facetiarum fertilis puerpera,
In luctuoſa valle mortis nauſeam
Ingens que contubernii faſtidium
Funeſtioris cepit a lugubribus
Umbris et alto manium ſilentio.
  Hinc ille, fracto clam ſepulcri carcere
Squalentis, ut phoenix renatus, denuo
Solis quadrigas intuetur aurei
Argenteis que noctilucam cornibus
Intermicantem ſiderum choro deam.
  Obliviosam mortuo quid profuit
Potaſſe Lethen? vix redux ab inferis
Vitalis aurae munus et gratiſſimam
Lucem recepit, quin ſuo tanquam duci
Et architecto gratiarum priſtini
Satellites adhaereant; *Joci*, *Sales*,
Facetiae que mille cum *Leporibus*;

Quo-

Digitized by Google

Quorum parentem quis per omne Belgium
Praeter venuſtum Baudium det alterum?
His innocentem junxerit ſi quis dolum
Simillimumque, quo ſub oratoria,
Ne proderetur, callide latens toga
Subtiliorem Baudiana *Grotium*
Circumvenire Piëris ſperaverat;
Quidni reverſum Baudium conceſſerit?
Quod ſi repugnes, nec Tuam fidem novo
Fas mancipare judices miraculo;
En aptius quid afferam, videlicet
Ex intima ductum ſophorum porticu,
Cui largiaris calculum lubentius.
Noſti, quid inde plurimis a ſaeculis
Graviſſimus magiſter ille, cui Samos
Seſe dediſſe jactat incunabula,
Dictarit et firmarit exemplo ſuo
De transfugarum mentium miraculo!
Tradux in illum mens ut Euphorbi prius,
Tonante Marte Troïco, migraverit;

Digitized by Google

Deinde piſcatoris illa Delii,
Cui grande Pyrrhi nomen inditum ferunt:
  Deſideranti ſcire, quantum commodi
Doctrina praeſens conferat negotio,
Pronunciem liberrime, quod ſentio.
  Poſt funus ergo Baudii triſtiſſimum
Feſtivioris, illius ſatellites,
Ut exules erraticos, putaverim
Plures per annos huc et illuc anxie
Circumvagando quaeritaſſe, ſicubi
Novum deinceps hoſpitem concederet
Fortuna fautrix, nec priori diſparem
Serenioris indolis dulcedine;
Donec velut communibus ſuffragiis
Convenit inter hos amicos, clanculum
Seſe Tibi, quem judicarunt hoſpitem
Suaviſſimum, domeſticos obtrudere.
Hinc jam recepti mentis in ſacrarium
Tui triumphant incolae; *Joci*, *Sales*,
*Facetiae*que mille cum *Leporibus*,

Qui

Digitized by Google

Qui ſe, laborant dum Tuis in literis
Latere, prodidere tanquam ſorices.
  Hi ſunt, venuſtam quos lubens agnoverim
Anſam jocoſae praebuiſſe fabulae,
Falſo reverſum dictitanti *Baudium*,
Nil ſentientem, nil morantem, mortuum.
  An rite nodum Gordium Te judice
Solviſſe ſim dicendus, ipſe videris,
Cujus paternam dum brevi ſententiam
Suſpenſus exſpecto, jocari deſino.
  Severiores contrahant, quantum libet,
Frontem Catones; at rigorem virgulae
Cenſoriae jocos mereri ſimplices
Innoxiumque candidi patris dolum,
Cum nulla lex, nec ulla gens ſanciverit;
Sereniores explicemus libere
Frontem, ſophiſtas nec moremur anxios!
  Nae! ſi vel Argo literas aut Lynceo,
Utrique perſpicaciori, traderem
Examinandas, neuter oratorio

Digitized by Google

Sub involucro ſubdolum deprenderet
Vatem latentem; ni ſtylus poëticus,
Ni ſpiritus profundior, ni floſculi,
Quos ſingulares proferunt Pindi juga,
Te proderent dolumque ſubtiliſſimum.
O grata Fraus! amabiles Facetiae!
Miri Lepores atque mellei Sales!
Quid plura? Muſae literas dulciſſimae
Amplector exſultans: ſed asperum movent
Menti dolorem triſtiores optimi
Avi querelae de ferocioribus
Malis ſenectae. Pejus avertat DEUS
Omen benignus et ſenectuti gravi
Feſſaeque praeſens adſit et ſalutifer!
Nos caeterum valemus hic athletice,
Salvaeque res ſunt inſuper domeſticae.
Nihil, quod addam, nunc novi fert Africa,
Nil ſingulare, quod quidem dignum meis,
Nedum Tuis ſit auribus. Superſtites
Triumviri fratres, paternos qui Lares

Me-

Mecum tuentur, optimis parentium

Secunda quaevis et precantur optima.

Cum Matre ſalva ſoſpitem brevi DEUS

Det, osculemur filij Patrem.

Vale.

Dab. Bredae
a. d. xvi Auguſti
cIↃIↃccLvii.

Digitized by Google

THEODORI HOOGEVEEN
CARMEN ELEGIACUM,
CONTINENS
HISTORIAM MORBI DOMESTICI,
VARIOLIS INFECTA DOMO;

Dictum publice in aede Gallicana,
quae eſt Dordraci,

SUB PRAESIDIO PATRIS

HENRICI HOOGEVEEN,

GYMNASII RECTORIS,

Calendis Septembribus.

CIↃIↃCCLXII.

QUanta per elapſae tempeſtas frigora brumae
Turbarit noſtram, labe nocente, domum,
Muſa parat caſusque novamque referre malorum
Iliadem, et tragicum territa pandit opus.

Illa

Illa Sophocleo res eſt aptanda cothurno,
  Haec mihi dicturo quanta theatra patent!
Maxima, queis homines gaudemus munera, dantur
  Haec tria, Libertas aurea, Vita, Salus.
Mille tamen curis obnoxia, mille periclis;
  Subdola ſunt variis retia tenſa locis.
Graſſantur fures, et cum latronibus hoſtes
  Inſidias, Vitae turba maligna, ſtruunt.
Nec Libertatem fert imperioſa tyrannis,
  Nil niſi ſervitii vincula dura crepans.
At, quibus hoſtiles conatus, telaque frangat,
  Invenit certas mens ſibi cauta vias.
Scilicet aërios vigilans induſtria muros
  Ponit, et admiſſis oppida cingit aquis.
Objicit armatis portas et clauſtra tyrannis,
  Jusque ſuum vindex aſſerit enſe manus.
Nocturnis paries et janua furibus obſtant,
  Cumque fera inſidias ferreus arcet obex.
Artibus his Vitam, Libertatemque tuemur;
  Hinc minor eſt furti, nocte ruente, metus.

Digitized by Google

Illa tamen tutos non propugnacula reddunt,
Et pereunt aliis Vita Salusque modis.
Sunt alii nobis hoſtes, metuendaque reſtant
Agmina, quaeque necem ſpicula certa ferunt;
Infinita cohors, atris armata ſagittis
Triſtia cum noſtra bella Salute gerit.
Per medios impune globos denſasque phalanges
Irruit, armatas nec timet enſe manus.
Tranſit inacceſſis vallatas moenibus arces,
Oppidaque, Odryſio dira fremente Deo.
Auguſtos ſubit illa lares, laqueataque regum
Tecta, nec excubias militis illa timet.
Non quaerit faciles aditus, non reſpicit apta
Tempora, ſed nulla lege tenenda furit.
Si quis es, horrendae qui quaeris nomina turbae,
Ne laedant aures omina dira, vide.
Nomina ſunt Febres, Dyspnoeaque, dira Phreneſis,
Et Papulae, pueris pernicioſa Lues.
Haec patrios inimica cohors ingreſſa penates
Exitium cunctis triſte minata fuit.

Quae-

Digitized by Google

Quaeque fuit noſtris funeſta tragoedia muſis,
  Hanc bene Melpomene juncta Thalia canit.
Nam, licet eventus tragico damnetur in actu
  Comicus, hic mire mixtus uterque fuit.
Qualis erat, primae facies triſtiſſima ſcenae,
  Talis ut in tabula conſpicienda patet.
Poſtquam dira Lues noſtras intraverat aedes,
  Exſtitit horrendi cauſa caputque mali.
Ulceribus facies illi ſquallebat inuſtis;
  Horrebant maculis dextra, ſiniſtra rubris;
Lurida peſtiferos veſtis circumdabat artus,
  Sciſſa tamen variis et putrefacta locis:
Exiit infauſto teterrimus halitus ore,
  Infecit totam quae gravis aura domum;
Nam, quocunque tulit greſſus, non angulus unus
  Immunis, dira labe furente, fuit.
Triſte malum late manat; flos ille juventae
  Sentit damnoſas in ſua fata manus;
Bis duo nam, virus quos tetrae afflaverat aurae,
  Affixi, morbi vi dominante, jacent.

Digitized by Google

Ex his unus erat, quem tanto triſtior hydra
  Afflarat, quanto dirior illa fuit.
Hunc morbi fatale genus, violenta Phreneſis,
  Corripit, et miſeris lancinat una modis.
Turbatur puero cerebrum, mens aegra dolorem
  Concipit, et furiis exagitata calet.
Colligit os rabiem, *duplicant* ſpiramina nares:
  Non vultus illi, non color unus erat:
Ardebant oculi, candebant ſpumea labra,
  Ceu Bacchae, Ogygio corda movente Deo.
Lucida continuus furor intervalla negavit,
  Nec juſtum rabies novit habere modum.
Nocturnis furiis agitata, agitata diurnis
  Pectora torrentis more rapacis eunt.
Hinc quanti motus! Queritur, gemit, aeſtuat, haeret,
  Clamat, et horrendas parturit ira minas.
Adde, quod inſolitas puero veſania vires
  Suffecit; vigor huic paene virilis erat.
Excutit e ſtratis furibundum fervidus horror;
  Non bene contracto clauditur ille loco;

Nam,

Digitized by Google

Nam, quos firmarat juvenili ſanguine robur,
  Diſcipuli ſocium vix tenuere duo.
His ita perplexis, non turba domeſtica rebus
  Sufficit, externam cura popoſcit opem.
Chirurgi, Medici, famuli glomerantur in unum,
  Plena domus luctus, plena timoris erat.
Hic potum petit, atque oblatis utitur herbis,
  Hic ex praeſcripto pocula mixta bibit:
Ille negat potum, porrectaque pharmaca guttur
  Odit, amara negans, dulcia ſola petens.
Tertius epotum (viſu miſerabile!) ſuccum,
  Et male concoctos evomit ore cibos.
Dejicit e dextra famulae medicamina quartus,
  Lintea decocto commaculata madent.
Huic ducebatur languens clyſteribus alvus;
  Illi fermentum pharmacopola parat.
Quis putet, (auditu quoniam res mira videtur)
  Indulgere novis nos potuiſſe jocis?
Rebus in afflictis quisnam jocularia ſanus
  Speret? at invita mente facetus eram.

Digitized by Google

O quoties fictis, rabie gliſcente, putatis
  Appoſitis Medicum me ſimulaſſe comis!
O quoties (huic ſaepe dolo cortina favebat)
  Tentavi, an ſolitum vena teneret iter!
O quoties juſſi tumidam protendere linguam,
  Et tanquam Medicus pocla bibenda dedi!
O quoties ſuaſi, mutata voce, quietem!
  Expreſſitque ſonus maſculus ille virum.
Haud aliter patris partes egiſſe Simonem
  Credite, quam Medico me ſimulaſſe parem.
Quem vix ſperavi, ſucceſſus vota ſecundat:
  Quis putet innocuo pondus ineſſe dolo?
Vim morbi fregere ſales, fregere furorem:
  Dicite, felices hoc potuiſſe jocos.
Solvimur in plenos juvenilis turba cachinnos
  Inviti, verus non fuit ille jocus.
Interea Patri, pueri gliſcente furore,
  Scribitur; at Patri littera ſcripta perit.
Altera ſubſequitur properantis nuncia mortis
  Litera; ſed fato deperit illa pari.

Poſt

Poſt varios caſus longis erroribus actae
  Invenere, diu quem petiere, Patrem.
Poſt lentas cum Fratre moras iter arripit ille,
  Et tandem nato ſaepe vocatus adeſt.
Tertia nox aderat, (qua non funeſtior ulla
  Exſtitit, et ſignis jure notanda nigris)
Cum ſubito clamore pater turbante quietem
  Surrexit, ſomnos excutiente metu.
Territus e lecto ſe proripit, anxia mentem
  Undique turbatam ſollicitudo premit.
Mox, primo ceſſante metu ſubitoque tremore
  Coepit in occurſum fortior ire mali.
Obvia fit patri mulier, pede nuda, per altas
  Eluctata nives et laniata comas.
Vociferans ancilla fuit, graſſata per aedes,
  Nec niſi funeſtos edidit ore ſonos.
Omnia, clamabat, ſunt perdita! funera! flammae!
  Non leviora aures perſonuere mala.
Juraſſes, patrias ſcatuiſſe latronibus aedes,
  Scironisque trucem ſternere cuncta manum.

Juraſ-

Juraſſes, multa graſſari caede Procryſten,
Immitemve palam cuncta ferire Sinen.
Tum vero patrios gelidus circumſtetit artus
Horror, et ima quatit plurimus oſſa tremor.
Ut primus ceſſit terror, revocataque patri
Mens rediit, demens quid paret illa, rogat.
Quaerenti cauſam ſtrepitus tantique tumultus
Nil niſi ſingultus fractaque verba refert.
His ita confuſis, genitor tum nocte puellum
Abreptum ſubita morte fuiſſe putat.
At quorſum interea ſubiti haec veſania motus?
Unde repente deum Pythia paſſa furit?
Altera ridiculae ducens exordia ſcenae
Cauſa ſubeſt, quae non eſt reticenda mihi.
Scilicet ancillas inter (mihi fabula riſum
Exprimit) ante novem lis erat orta dies.
A famulis obeunda fuit cuſtodia pernox,
Et vigil ambarum cura popoſcit opem.
Quae natu minor eſt, operam auxiliumque profeſſa
Majori alternas obtulit aequa vices.

Saepius

Digitized by Google

Saepius oblatam moroſior altera curam
  Reſpuit, et ſociam ſtulta recuſat opem;
Et, mihi debetur ſoli laus illa, meaeque
  Plenior aetati gloria detur, ait.
Quis ſibi tam demens certamen fingere poſſit?
  Quis latuiſſe neget talia monſtra patrem?
Propoſiti fuit illa tenax, noctesque per omnes
  Excubias, nullum paſſa levamen, agit.
Frangitur aſſiduis natura laboribus impar;
  Nam niſi feſſa leves membra ſopore, jacent.
Nota ſit exemplo mulier; devicta ſopore
  Opprimitur tacite, dum ſedet ante torum.
Triſtia ſopitos terrent inſomnia ſenſus.
  Quot videt effigies! quot ſimulacra mali!
Ut gens illa ſolet, cujus dux Loyola quondam
  Fallacisque caput relligionis erat:
Mira putat mulier ſe ſacro imbuta veneno
  Pro veri ſtudio, pro pietate pati.
Vana ſuperſtitio tortores, vincla crucesque
  Somniat, et miſera credulitate nocet.

Obji-

Digitized by Google

Objicit armatos (nam quid non territa fingat?)
  Mens percuſſores, carnificeſque tremit.
Horret et exclamat mulier: ſingultibus angor
  Exprimitur, varius pectora motus agit.
Per ſomnum quaſſare caput conterrita coepit;
  Et jactare manus et maleſana pedes.
Quam vereor, vobis haec ne videatur anilis
  Fabula, de ſocio jam referenda mihi!
Auditu res mira, ſed eſt quoque digna relatu;
  Veraque, quantumvis vix habitura fidem:
Scilicet attonitae quae ſunt modo viſa miniſtrae;
  Haec eadem puero conſpicienda patent:
Spectra videt, formaſque pares, ſimilesque figuras;
  Occurſant animo vincla, crucesque timet,
Armatosque viros, percuſſoresque minaces;
  Et quot carnifices finxit, adeſſe putat:
Non interrupto miſerae clamore miniſtrae
  Excitus e ſomno tum miſer ille levi eſt:
Erigit attonitus caput, ancillamque ſedentem
  Qualis erat, trepidus conſpicit ante torum;

Hor-

Digitized by Google

Horret ad adſpectum, rabiesque in corda recurrens,
Quae fuerat media languida nocte, calet.
Per ſomnum quodcunque miſer conſpexit, id ipſum
Jam vigil ac vecors omnia vera putat;
Territus ancillam, quae ſe cruciaret inique,
E furiis unam credidit eſſe puer.
Lectus erat carcer; (quid jam non terror et angor
Finxerit?) e ſtratis proſiliiſſe ſtudet.
Irritus hic labor eſt: expergefacta tumultu
Praevenit inſani fida miniſtra fugam.
Hunc dum calloſis manibus retinere laborat
Anxia, tractato durius ira calet.
Acrior ad pugnam ruit et vim promovet ira,
Ancillam paſſis arripuitque comis:
Hic colaphos geminat dextra, ſed et illa ſiniſtra:
Quam volitat circum tempora crebra manus!
Haec puerum fervens lecti per ſtragula volvit,
Nunc hac, nunc illac praecipitanter agens.
Brachia jam pugnis intenta prehendit, ut illos
Eludat miris ille vel illa modis.

Digitized by Google

Quantae molis erat, tandem ſe foemina pugnax
  Conjicit in puerum, dira crepante toro.
Hinc reparat vires, rabiemque phreneticus omnem
  Colligit, irato dente ſubinde fremens.
Clamat uterque ferox, ſtrepitu terrente penates;
  Pugnat uterque furens, ſudat uterque madens.
Angor et inſolitas puero veſania vires
  Sufficit: hanc ſtimulat ſollicitudo gravis,
Ne ruat ex alto, neu caſum fata ſequantur
  Ultima, neu frangat brachia, crura, caput.
Sed, dum luctantur, vicit robuſtior aeger,
  De lecto praeceps donec uterque cadit.
Tum vero in pugnam repetitis viribus itur,
  Ictibus et crebris jam tabulata gemunt.
Foemineis ancilla ferocior utitur armis,
  Et pueri rigidis unguibus ora petit.
Hic renovat pugnis durum longumque duellum;
  Haec illi invictus praebuit arma furor.
Victa ſed eſt tandem durae impar foemina pugnae:
  Quis puero tantum robur ineſſe putet?
Proxima, cujus opem poſcit, vicinia dormit;
  Quae vigilat, non eſt auſa movere pedem.

Foe-

Foemina deſperans, et cernens ultima rerum,
Cogitat occultam ſola relicta fugam.
Proripuit ſeſe feliciter, atque per aedes
Edidit horrendos exanimata ſonos.
Advolat interea clamoribus excita mater,
Et pulſat, clauſas quas videt eſſe, fores.
Saepius ut pulſat, puerum vocat, irritus omnis
Hic labor eſt, pueri janua clauſa manet;
Hanc ita, ne mulier ſe vexatura rediret,
Clauſerat, ut nemo poſſet adire, miſer.
Accurrens genitor natum compellat amice,
Quo vix audito, janua tota patet.
Mittitur ad Medicum (ſed ſanior illa) miniſtra
Per modo delapſas nocte ſilente nives.
Inde reverſa patri, Medici, medicamine ſumto,
Eheu! ſudorem membra rigare, refert.
Proh dolor! afflicti morbo cui credita cura eſt,
Hunc ſuaque ars fallit, ſervat et ipſe torum.
In cumulum creſcunt mala. Febris acuta miniſtram
Corripit; huic cauſam pugna pavorque dedit.
Omnia funeſtis his addite triſtia rebus:
Fatorum ſeries vix numeranda patet.

 Scrip-

Digitized by Google

Scripſerat uxori conjux, novus hospes, at illa
  Nulla manus vidit ſigna notasque viri.
Inde, quid interea vir agat cum fratre profectus,
  Nescia, jamque exſpes cuncta ſiniſtra timet.
Duplicat angores miſerae ſpes lapſa maritae;
  Ferre nequit tantas ſola relicta moras.
Quem jam jam exſpectat reducem, ſpes unica, frater
  Per tempeſtatem forte retentus abeſt.
Longinquis hinc illa licet regionibus abſens
  Subſequitur conjux irrequieta virum.
Hybernas non illa minas, frigusque, nivesque
  Curat, et ad patrios transvolat ipſa lares.
Hospitio poſtquam ſubiit matrona, marito
  Indicat, ut miſerae ſuaſerit angor iter.
Filiolus ſuperat ne rogat, ſpes unica matris,
  Spes tua; quid nobis carus Julus agit?
Spem vitae genitrix audit ſupereſſe. Sed inde
  Reſpicit, et fratrem jam nec adeſſe videt.
Frater ubi eſt, mox illa rogat? Vox illa maritum
  Terret, jam geminus, jam novus angor adeſt.
Hunc abiiſſe domum dudum, referente marito,
  Moeſta putat fratrem jam periiſſe ſoror.

Obru-

Digitized by Google

Obrutus inſanis infelix creditur undis,
  Naufragus atque avidis piſcibus eſca datus.
Hic tamen ad patrias ſalvus pervenerat oras,
  Atque erat emenſus navita tutus iter.
Tantorum quis finis erit? quae meta malorum?
  Nam nondum tragicum muſa peregit opus.
Scilicet horrendae reſtat pars altera ſcenae,
  Quae pueri matrem ſpectat, et inde patrem.
Optima nam genitrix, cuſtos fidiſſima nati,
  Curam, quam famulis eximit, ipſa gerit.
Pervigil illa cupit miſerae ſuccurrere proli,
  Et pernox famulae munia mater obit.
Propoſitum mutet fatale marita, maritus
  Flagitat: haec ſurda negligit aure preces.
Quo magis abſiſtat matrona, recentius illi
  Exemplum famulae propoſuiſſe ſtudet.
Conſilium tamen illa viri, monitusque repellens
  Inſtat et excubias ſedula mater agit.
Infelix, propriaeque minus ſtudioſa ſaluti
  Non intermiſſo fracta labore jacet.
Quam nocuit maternus amor! nam languida curis
  In morbum conjux incidit ipſa gravem.

Digitized by Google

Deploranda jacent afflicti vota mariti;
Ne pereat natus cum genitrice, timet.
Conficitur juſto languens moerore maritus;
Qui lacerat miſeris excruciatque modis.
Ne tamen aerumnis intenta recentibus usque
Mens impar nimiis corruat aegra malis,
Continuis recreandus erat ſermonibus hospes;
Cogitur huic praeſens ſemper adeſſe pater.
Scilicet afflicto ſoli non eſſe licebat;
Fit minor alloquiis diſtrahiturque dolor.
Jam quoniam reduces, juvenilia gaudia, luſus;
Attuleratque leves bruma nivoſa trahas,
Haec nova propoſuit genitor ſpectanda marito
Ludicra, ſi moeſtos haec recreare queant.
Excedunt tectis, poſtquam miſer annuit hospes;
Perque nives dubio vadit uterque pede.
Quamque grues ſignant magnum per inane figuram;
Huic non abſimilem pergit uterque viam.
Ambitioſa trahis juvenum commixta puellis
Ambobus juſtum turba negabat iter.
Unde latus ſocio claudendi nulla facultas;
Nec licuit junctis paſſibus ire patri.

Res-

Reſpicit hic comitem, ſed, quem deſiderat; hoſpes
  Obtectus nivibus jam miſer ille jacet.
Proximus, ut lapſam conſpexerat, advolat ultro
  Civis, et, ut par eſt, officioſus adeſt.
Jamque redux claudum genitor deducit ad aedes,
  Contuſum queritur qui femur eſſe ſibi.
Hactenus illaeſam ſervarant fata ſororem,
  Sedula quae miſeris ſponte ferebat opem.
Haec quoque ſuccubuit, miſeraque in virgine totas
  Extendit vires pernicioſa lues.
Haec cuſtos aviae, cui debilitante ſenecta
  Bis fluxere novem luſtra, puella jacet.
Illa ſuae neptis curis aſſueta diurnis
  Nocturnisque, aviam curet, ut ante, rogat.
Hanc cupit, immodicisque vocat clamoribus unam,
  Nil famulae curans accelerantis opem.
Non leve momentum cumulo res illa laborum
  Addidit, et tragicum ſaepius auxit opus.
Haec eſt fatorum ſeries inopina, malorum
  Ilias hinc nobis altera nata fuit.
Lux tamen e ſpiſſis tandem fuit orta tenebris,
  Nec preſſit quaſſam dira ruina domum.

Non

Non tulit exitium, gratamque miſerta ſalutem
  Reddidit afflictis dextra benigna DEI.
Scilicet incolumes excepto vivimus uno,
  Neverat huic nigrum Parca maligna diem.
Ille, ratus tutum ſe ſubduxiſſe periclis
  Mille, lares patrios non rediturus adit.
Jam fuerat venas labes ingreſſa, priusquam
  Inſtantis fugeret ſpicula certa necis.
Subſequitur juvenem mors importuna fugacem:
  Praeterit impavidos falx, timidosque metit.
Vivimus amiſſo cuncti feliciter uno,
  Et lux eſt tenebras alma ſecuta nigras.

F I N I S.

E R R A T A.

Benignus Lector reponat

Pag. 44 ℣ 13 pro *prognatus eadem*, *prognata creantis*.
58 ℣ 16 pro *cautis*, *cautus*.
Tum ſupra tredecim priores imparibus numeris paginas pro *LUDRICA*, *LUDICRA*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google